



FRANCISCI FLORENTIS

JURISCONSULTI CELEBERRIMI,

Aurelianensis primùm, deinde Parisiensis

ANTECESSORIS

OPERA PRIORA, SIVE AB IPSO EDITA,

PARS PRIMA.

DISSERTATIO DE ORIGINE, ARTE ET

autoritate Juris Canonici, ab Autore edita Anno 1632. postea ab eodem emendata, & aucta tum iis, quæ suis ipsemet locis inseruit, tum adjectis ad marginem notis. Quæ omnia ex Autoris Autographo desumpta sunt.

PRÆFATIO.



URIS CANONICI interpretationes suscipientibus tria sunt necessaria, quæ si studiosi prætermittant in ingressu studii, duorum alterum eveniet; aut desertores efficiuntur rerum multitudine & varietate onerati; aut cum magno labore seriùs perducentur ad veram illius Juris scientiam, ad quam si præmittantur illa, faciliùs pervenient.

I. Est origo & processus hujus Juris. II. Ars & methodus, quam singuli Collectores, illustriores maximè adhibuerunt. III. Autoritas & usus cujusque Collectionis. Et hæc quidem generalia, & quasi catholica tradere proposui, non quia velim verbosos texere Commentarios; sed quòd interpretationem Juris Canonici promittenti erat inconveniens, omittiis iunctis, neque origine repetitâ, protinus materiam interpretationis tractare;

PARS PRIMA.

2 FR. FLORENTIS DISSERTATIO
exemplo à Jureconsultis petito, qui Pandectis præfixerunt *titulum de Origine Juris*. Ista quippe introductiones lubentiùs ad propositam materiam perducunt, ut ait Caius in *Lege 2. ff. de Origine Juris*, & cum ibi venerimus, evidentiorè præstant intellectum.

Investiganti autem causas corruptæ & obsolescentis Juris Canonici doctrinæ, tres potissimùm occurrunt. Prima quod plerique Interpretum insuper habuerunt illius Juris origines scrutari, Jus vetus à novo distinguere, vices & mutationes varias observare; & quod in Aristone tantopere laudat Plinius, [*lib. 1. ep. 22.*] omiserunt vetera tractare, ut recentia; publica, ut privata, contenti jure novissimo, quod usu & tritura receptum putabant, parum animum advertentes ad *canonem Fuerunt Dist. VII. Etsi Legum antiquarum, quæ vetustate atque incuria obsoleverunt, nullus jam usus sit, notitia tamen necessaria videtur.* Quin & eas in usum revocari aliquando, imò sæpius interesset publicè.

Secunda, apocrypha plurima, id est suspectæ & incertæ fidei, pro veris & certis nimium patienter Collectores recentiores, eorumque Interpretes sibi tulerunt obtrudi; quæ à veris secernere summa fuit antiquis religio, *Can. Sancta Romana Dist. xv.*

Tertia, ritus, mores & instituta, quæ in aliquibus Ecclesiis specialiter obtinebant, vel omnino neglexerunt, vel ita acceperunt, quasi apud omnes Ecclesias peræquè custodirentur.

Alia vitia & defectus adnotare liberet, sed ista tria, ut graviora & majoris momenti indicare sufficit: meminimus enim nos compendium scribere, & hanc materiam quasi per indicem attingere. Si quis autem singulorum, aut saltem celebriorum autorum Collectiones noverit, & quæ in singulis adnotabimus, illa tria incommoda facilè vitabit. Sciet enim quid, & quotempore sit inductum; mutationes & vicissitudines Juris Canonici, si non per partes & exactè, generaliter saltem cognoscet; quod incipienti satis est: qui verò ultra progredietur, artificium deteget, simul usum & auctoritatem cujusque Collectionis investigabit; qua ratione apocrypha, & quæ sunt dubiæ fidei, qualia multa occurrunt illis libris, statim odorabitur. Itemque si quid in omnibus Ecclesiis universaliter, si quid specialiter in aliquibus observetur, distinguet. In hoc verò tractatu hanc methodum & formam observabimus, ut singula breviter perstringantur; propositi nostri memores, nos institutionem & compendium tradere, in quo nimia disciplina, ut ait Severianus in *arte*, id est fusiùs & prolixius tracta disputatio nocet discipulis,

PARS PRIMA.

Qua continentur duæ Juris Canonici divisiones.

UT commodiùs & apertiùs intelligamus, quæ postea sunt exponenda, Juris Canonici duas partitiones sive divisiones afferemus. Rectè enim Theophilus divisionem vocat, immensæ & infinitæ alicujus materiæ brevem comprehensionem; quæ in tradendis artibus pernecessaria est, ex eo maximè quod quæ non poterat quis capere simul propter multitudinem, ea divisa in partes facile possit apprehendere.

Jus itaque Canonicum, vel ratione materiæ & subjecti, vel ratione formæ dividemus. Unius enim & ejusdem rei nihil obstat plures afferri divisiones, quæ sint omnes ex arte.

Ratione materiæ ius Canonicum, vel ad fidem, vel ad mores pertinet. Quæ pertinent ad fidem, symbolis, & formulis fidei, ac fynodicis epistolis plerumque continentur, [vel etiam Decretis, vt in Alexandrino Concilio anathematismi contra Nestorium, & in 5. Synodo]: & speciali nomine designantur, dogmata scilicet & διατυπώσεις appellantur: quæ verò ad mores, id est ad disciplinam Ecclesiasticam [& πολιτίαν] spectant, Canonum nomine designantur. [Vnde Chrysostronus *libris de Sacerdotio*, 4. imprimis cap. 5. omnis Theologiæ studium ad hæc duo refert, πίστις & πολιτίαν. Quibus adde notas Casauboni ad *epist. Gregorij Nysseni* pag. 78. in fine.]

Probatum illa diuisio autoritate septem Conciliorum vniuersalium: & quidem in Concilio Nicæno 1. exprimitur illa diuisio in *Epistola Patrum ad Aegyptios* sub finem his verbis, κανονίζεν ἢ δειματίζεν, & apud Gelasium Cyzicenum, qui acta Concilij Nicæni ex varijs autoribus collegit, aded separantur ea, quæ sunt disciplinæ, & morum ab illis, quæ sunt doctrinæ & fidei; vt sicut re ipsâ differunt, ita & notentur diuerso nomine: [pag. 199. Περὶ τῶν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἡ ἀποστολικῆς πίστεως, τῆς τε σεβασμίου τοῦ ἀγίου πάσχα, τῶν τε τῆς ἐκκλησιαστικῆς δεύρας λειτουργίας διατυπώσεων, τῶν τε περὶ τῆς ἐκ αὐτῆς εὐταξίας κανόνων κειμένων ἢ δειδέντων. *Quæ de Catholica & orthodoxa fide, & veneranda Sancti Paschatis festiuitate, de Divini Ecclesiastici Officij constitutionibus, & de ipsius disciplina canonicis indicata & definita sunt.*] Διατυπώσεις vocat constitutiones Patrum, quæ pertinent ad fidem, quæ refert numero septem; Et postea subiungit Canones numero viginti, qui ad mores, & politiam Ecclesiasticam spectant; vnde mirum non est, si in Canonibus nihil de Ario dicatur. Et hæc de Concilio Nicæno.

De dictione διατυπώσεις & τῶν vide notas Frontonis in *Basilium* tomo 3. pag. 70.

In Concilio Constantinopolitano secundo eadem distinctio reperitur ex *Epistolis*, vt constat, *Synodicis* Concilij, quas direxerunt Patres ad Theodosium Magnum, & ad Damasum, Ambrosium, & reliquos Occidentis Episcopos. In illis enim epistolis, quæ pertinent ad fidem, & contra hæreses statuta sunt, vocantur anathematismi: quæ verò ad disciplinam & mores inter domesticos fidei constituuntur ad Ecclesiarum ordinationem, vocantur Canones.

In Concilio Ephesino pleraque omnia pertinent ad fidem: septem enim tantum Canones constituit.

In Chalcedonensi plures Canones continentur, qui plurimi faciendi sunt, quia conspirante, & in unum conueniente ordine Ecclesiastico & Sæculari sanciti sunt. In illo enim Concilio Canones multi ex suggestionem Imperatoris Martiani à Patribus promulgati fuerunt, vt constat ex *actione sexta* in fine. Manifesta verò est differentia inter ea, quæ ad mores, & ad fidem pertinent, vt ex *integris* illius Concilij *actis* colligitur.

In quinta Synodo Oecumenica, quia nulli Canones editi sunt, sed tantum de fidei quæstionibus tractatum, illa distinctione opus non fuit.

In sexta nulli pariter Canones editi sunt: magna tamen difficultas oritur ex *can. 5. 6. 7. 8. & 9. Dist. xvi.* ex quibus colligit Gratianus sextam Synodum, & eius Canones ab Hadriano Pontifice probari. Canon enim quintus ipsius Hadriani verba continet, quibus probat illam Synodum, & eius Canones nominatim; quod & confirmatur *Can. 6. sequenti*, & 7. quibus referuntur ipsa verba, & quidam Canones desumpti ex illa Synodo 6. In *Can.* verò 8. quo continetur professio solemnis Romani Pontificis, generaliter dicitur, Pontifices admittere illam Synodum sextam, nullâ mentione factâ Canonum: quod summè notandum est. In *Can.* verò nono, sexta Synodus dicitur conscripta temporibus Papæ Agathonis, sub Constantino Pogonato, præsentibus Legatis Apostoli-

De pugna & controuersia suscepta aduersus 5. Synodum vide nota ad *Facundum Herimianensem*, & apud *Isid. lib. de viris illust. c. 12. 31. & 32.*

4 FR. FLORENTIS DISSERTATIO
cæ Sedis. Ex illis autem duobus Canonibus 8. & 9. pugnantia & discordia oritur contra Canones 5. & 6. eiusdem Dist. xvi. Nam in 5. & 6. canones aliqui tribuuntur sextæ Synodo; deinde in Can. 6. nominatim dicitur sub Iustiano filio Constantini Pogonati conuocatam fuisse sextam Synodum. Præterea nulla mentio fit Pontificis, neque eius Legatorum; quod tamen necessarium esse, ut aliqua Synodus verè dicatur vniuersalis & legitima, sæpiùs Græcis summi Pontifices obiecerunt.

Illa discordia ita componenda videtur, si distinguamus inter veras, & falsas Synodos: duæ enim Synodi nomine sextæ appellantur: illa, quæ est vera & legitima, habita est sub Constantino Pogonato, & nullos Canones edidit; sed tantùm statuit quædam ad fidem pertinentia, & ad eam referendi sunt Can. 8. & 9. Dist. xvi. Canones verò 5. 6. & 7. ad pseudo-synodum Græcorum referendi sunt, quam pro vera & legitima obtinere voluerunt. Et quidem certum est Gratianum fuisse deceptum propter non animaduersam istam distinctionem: ne tamen in eundem errorem incidamus, obseruandum est verba Canonis 5. malè tribui Hadriano Pontifici. Nam licet verum sit, in Synodica Hadriani Epistola ea verba contineri, quæ habentur in Concilio vii. Oecumenico actione 2. Hadrianus tamen ea verba refert tanquam desumpta à Tarasio Constantino-polit. Patriarcha; non quod ea probet, ut constabit facilè, si quis coniungat dictam epistolam Hadriani cum epistola ipsa Tarasij, quæ habetur integra in dicta Synodo septima actione tertia. Et hæc ad quintum Canonem.

Ad Can. 6. habeo librum. In hoc Canone separare debemus prima verba, quæ sunt Petri Nicomediæ Metropolitanæ, à verbis Tarasij, quæ incipiunt ab his verbis; Patriarcha dixit. Sed tam hic Canon, quàm sequens accipiendi sunt secundùm Græcorum sententiam, maximè Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Quod iterum post Romanos Correctores plenius animaduertere operæ pretium erit.

Obseruandum postremò, falsam illam Synodum continere 103. Canones, quorum plerique Occidentalem Ecclesiam impugnant; maximè Canon 2. 13. 55. & 82. Vocatur autem Synodus *πρώτη* à Græcis, id est quinta & sexta; quia Canones, qui decerant quintæ & sextæ Synodo, suppleuit: nec propriè dicitur septima; quia nihil de nouo statuit, ut notant Zonaras & Balsamo ad illam Synodum.

Hactenus de sexta Synodo, quantum ad diuisionem nostram de fide, & moribus. Alia quædam, quæ pertinent ad auctoritatem & differentiam duarum illarum Synodorum, quæ sextæ nomen præferunt, suo loco non omitteremus.

In Synodo septima, quæ vocatur Nicæna secunda, contra Iconoclastas conuocata sub Hadriano I. Pontifice, & Constantino Imperatore & eius matre Irene, separantur manifestissimè ea, quæ sunt fidei, & morum.

In octaua sub Hadriano II. & Basilio Imperatore. Norandum primò, sicut duplicem fuisse sextam Synodum notauimus, ita & octaua duplex fuit. Vna est legitima, cuius auctoritate Photius incubator & inuasor Sedis Constantinopolitanæ, viuo Ignatio, vero & legitimo Patriarcha, Synodi iudicio expulsus est, & Ignatius restitutus, annitente potissimùm Hadriano Pontifice, ad quem confugerat Ignatius, oppressus artibus Photii.

Altera Synodus octaua, quæ & falsa, post legitimam à Photio Pseudo-patriarcha conuocata fuit; sed eam Pontifex, & Occidentales reprobarunt. In octaua seruetur ista diuisio inter Canones, & dogmata.

Idem in alijs Synodis tam generalibus quàm particularibus obseruare est, quas omitto compendij, & breuitatis causa; monebo tantùm exactè eam disse-

In Gallijs 7. Synodus recepta in his quæ sunt fidei; quod ad canones, nunquam. Vide notata ad Synod. Francofordiensem de Imaginibus à Sirmòdo.

rentiam in postremis Concilijs fuisse obseruatam.

Quamuis vtilitas huius diuisionis ex his, quæ diximus, satis eluceat, duas præterea nobis regulas suppeditat, sæpiùs inculcandas in interpretando iure Canonico, quas seorsim adnotabimus.

Prima, in his, quæ sunt fidei, omnes Ecclesias debere conuenire, fidem esse vnã, integram, & pro indiuiso apud omnes Ecclesias seruandam, de qua nihil detrahi, vel immutari potest; denique, vt eleganter ait Tertullianus, *libro de v. rginibus velandis. Regula fidei vna omnino est, sola immobilis & irreformabilis.*

Secunda regula. Ea quæ ad disciplinam, conuersationem & Ecclesiasticam œconomiam pertinent, per loca terrarum regionésque mutare licet: totum hoc genus liberas habet obseruationes. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuunt societate, seruandum est *Can. 11. Dist. XII* [Quamuis enim omnes Ecclesiæ vnã & eandem fidem tenere & obseruare teneantur; diuersos tamen ritus, mores, & consuetudines retinere possunt absque vlla scissura & schismate: quod vulgò dicitur, sub diuersis ritibus vnã fidem, & per eam concordiam & pacem inter omnes Ecclesias conseruari. Vnde nata celebris distinctio mobilium & immobilium præceptionum, quæ à mobili & immobili vno spiritu descendunt.

Adde infra *parte 2. §. sed vt breuiter vsque ad §. & hæc sufficiant.*

Præceptiones immobiles vocamus, quæ lex æterna sanxit, quæ obseruatæ salutem conferunt, non obseruatæ eandem auferunt. In ijs nulla admittitur mutatio vel dispensatio: sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta seruanda, sicut æterna lege sancita sunt; v. c. quæ ad Deum & proximum pertinent, & ad parentes, itemque præceptiones aduersus vitia.

Præceptiones autem mobiles sunt, quæ lege æterna & perpetua non fuerunt sancitæ, sed quas ad tempus ratione vtilitatis Scripturæ & Canones posuerunt, non ad salutem principaliter obrinendam, sed ad eam tutiùs muniendam.

In huiusmodi præceptionibus mobilibus, dummodo honesta vel utilis consequatur compensatio, poterit procedere autoritate præsentium, id est Antistitum, diligenter deliberata dispensatio. Cessare tamen debet cuiuslibet lucri & commodi temporalis suspicio, quæ nec impetrantem, nec concedentem liberat. Multa namque Principes Ecclesiarum pro tenore Canonum districtiùs iudicant: multa pro temporum necessitate: multa pro vtilitate publica vel strage populorum vitandâ dispensant. De quibus omnibus eruditissime Iuo Carnotensis in *Prefatione Decreti*: Gratianus verò varijs in locis ex Concilijs, Decretis summorum Pontificum, & dictis Patrum confirmat & illustrat *Can. 2. Dist. VIIII. Canon. 6. & 8. Dist. XI. Canon. 3. 4. 5. 7. & 8. & maxime II. Dist. XII. & tota Dist. XIII. & XIV. & XXIX. Can. 2. Can. 3. II. 18. 19. XXIII. Q. 4.* Quibus addendus D. Chrysostronus in *Math. cap. 5. Hom. 17. pag. 219. 220. & 221* editionis Parisiensis.]

Itaque si aliqua Ecclesia alio iure vtatur in disciplina, non idèò communicatio & societas Ecclesiastica rescinditur, sed retinetur concordia per dispensationem, & œconomiam Ecclesiasticam, siue indulgentiam, *συγγνώμην*: tot enim nominibus vnã & eadem res significatur *Canon. 14. 15. 16. Causa I. Q. 7.* qua de re prudentissimè scripsit Eulogius Patriarcha Alexandrinus, cuius excerpta supersunt in *Bibliotheca Photij* ab Interprete non intellecta, qui vbique ferè *οικονομίαν* Incarnationis mysterium interpretatur: quo errore insignem Eulogij tractatum adèò obscurauit, vt eius sententia non possit constare. Quamuis enim *οικονομία*, significet aliquando *ἐπιτάχισις, ἐπιθεωρήσις, ἐπιταγή, ἐπιταγή* Christi,

quæ & absolute *λογια*, & coniunctim *οικονομια* & *θεολογια*, vnde & Ioannes Theologus appellatur: quia sicut Lucas *της σαρκος τε σωτηριος ημων θεολογιας*, ante scripserat; ita Ioannes *θεολογιας*, quæ per eminentiam *θεολογιας*. Eusebius *Histor. Eccl. lib. 1. c. 1. initio & fine*, & *lib. 3. cap. 18. sub finem*. Apud Eulogium tamen in illo tractatu *οικονομια*, vt notauimus, pro dispensatione, indulgentiâ, moderatione & æquitate accipitur, eodémque sensu apud Athanasium *epist. ad Rufinianum*, Basilium *epist. 1. canonica ad Amphilochoium* [& *epist. 203. & 204. in editione postrema Parisiensi*;] Cyrillum *epistolis ad Gennadium Presbyterum & Archimandritam, & ad Maximum Diaconum*, quibus in locis *το ουσπερον*, & *το ακειρις*, opponitur *τη οικονομια*. De dispensatione autem illa Ecclesiastica, de qua Eulogius ex professo apud Græcos disseruit, non minori iudicio apud Latinos Iuo Carnotensis in *doct.issima Prefatione Decreti* tractauit: eadémque de re eius æqualis Goffridus Vindocinensis, in *tractatu ad Calixtum Papam, Qualiter in Ecclesia dispensationes fieri debent*. [Gratianus in *Can. 6. 7. 11. 12. 13. 14. 15. & seqq. & Can. 23. 1. 2. 7. Bernardus libro de Precepto & Dispensatione. S. Augustinus epist. 50. & 162. Hilarius contra Auxentium pag. 101. & in initio & fine tractatus. Quibus adde Bibliothecam Cluniacensem pag. 1354. & quæ de œconomia & *συγκαταβησι* notat Casaubonus in *epist. Gregorij Nysseni pag. 109, itemque notas Heinsij ad Nouum Testamentum, & Frontonis ad Tom. 1. Chrysostomi pag. 62. & 63. & quæ habentur tomo 2. Libertatum Gallicanarum pag. 536. & 537 & ibi notata.]**

Exempla illustria habemus, quibus vtraque regula suprâ proposita confirmatur. Et quidem de Synodo 6. de quâ suprâ, ita loquitur Anastasius Bibliothecarius in quadam *epistola ad Ioannem Diaconum* [quæ præfigitur initio *Collectaneorum Anastasij* editorum à Sirmondo.] *Et hanc quoque Synodum sextam Canonice capitula promulgasse, Græcorum scripta testantur: quæ tamen pene omnia, quia Sedes Apostolica non approbanit, tota Latinitas reprobant: nec tamen vllum schisma eam ob rem inter Ecclesias Orientales & Occidentales ortum est. Quod & pluribus exemplis ex alijs Synodis generalibus breuiter demonstro, in quibus licet nulla fuerit controuersia in quæstionibus fidei; non tamen constitit inter omnes de his, quæ in illis Synodis ad disciplinam pertinent. Verbi gratia, in Constantinopolitana vniuersali secunda Canonem 3. Ecclesia Romana & aliæ Sedes Patriarchales non approbarunt, quo continentur priuilegia Sedis Constantinopolitanæ. Ita in Ephesina Synodo Canon vlt. de Cypro non probatur Ecclesiæ Antiochenæ. Postremò, quod in Chalcedonensi Canon penult. de Ecclesiæ Constantinopolitanæ priuilegijs amplificandis iterum statuitur, improbat, & damnatur à Leone Magno in *Epistolis 53. 54. 55. Et huic Canoni promulgando nominatim intercesserunt Paschasius, Lucentius, & Bonifacius Leonis Magni Legati, qui contradictionem suam in acta referri postulauerunt, vt constat ex actione vlt. Concilij Chalcedonensis. Ex quibus conficitur, quamuis non omnes Canones alicuius Synodi, etiam vniuersalis probentur, non idèò minùs esse legitimam, & solemnem, dummodo in fide conueniant. Vnde non mirum est, si hodie aliqui Canones Conc. Trid. qui pertinent ad disciplinam, ab omnibus Ecclesijs non admittantur, quamuis in fide omnes Orthodoxi conueniant. Hęc de prima diuisione, de qua plura dicerem, nisi modus cõpendij seruandus esset.**

Sequitur secunda diuisio in ius scriptum & non scriptum, quæ à forma repetitur, sicut superior à materia & subiecto. Quemadmodum enim in §. 3. constat. *Instit. de iure naturali gentium & civili*, ius omne ciuile dicitur constare scripto & sine scripto: ita & ius omne Canonicum distribuitur in ius scriptum, & non

Scriptum : vel breuius , legibus & moribus continetur. Lex enim constitutio scripta vocatur, vt Theophilus notat *eodem titulo*, & Isidorus *Can. 2. 3. 4. & 5. Dist. 1.* Ius verò non scriptum appellatur, ius moribus introductum, consuetudo, disputatio fori, ius prudentum, & vsus.

[Ius non scriptum vocamus traditionem, vsus antiquum & perpetuum, vel omnium simul Ecclesiarum, vel particularium quarumdam tantum. Quæ distinctio scripturarum etiam auctoritate confirmatur. Petrus *Epist. 1. cap. 1.* vocat *τὰ παλαιὰ ἐπιδοτά*. D. Paulus *2. ad Thessal. 2.* Itaque, ait, *fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per Sermonem, siue per Epistolam.* Quas Traditiones sapius idem Apostolus *bonum depositum* vocat *Ep. 2. ad Timoth. cap. 1.* *formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti.* Et postea. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Quibus locis simul iunctis recte definiuerunt Concilij Trid. Patres *Sessione 4* Traditiones, *quæ nempe sine scripto ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi permanus tradite ad nos vsque peruenierunt.* Quæ quidem Traditiones, dummodo per omnes Ecclesias ab initio præceptæ fuerint & obseruatæ, vim & robur obtinent, non tantum circa ea, quæ sunt discipline & morum, sed etiam circa fidem & dogmata. Eamque in rem insignis est locus Basili Magni *lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* *Dogmatum & institutorum, quæ in Ecclesia seruata sunt, alia quidem habemus ex doctrina, quæ litteris consignata est: alia verò ex Apostolorum traditione, ad nos transmissa, in mysterio recepimus, id est sine scriptis, quæ utraque eandem vim habent & robur ad pietatem: atque his nemo contradixerit, qui vel exiguâ legum Ecclesiasticarum peritia sit præditus.* Quod & exemplis pluribus declarat D. Basilius. Qui locus meritò ab omnibus fere Collectoribus Canonum refertur, Burchardo, Iuone, Gratiano, qui eum locum retulit *can. 5. Dist. xi.* cui similem addimus ex Epiphano *ad hæresim Arianorum. Num. 5. 6. 7. & maxime num. 8.* & iterum in *Expositione fidei Catholica num. 21. 22. & 23. & seqq.* & ad eam notas Petauij. Cui etiam adiungenda, quæ de traditionibus Balduinus & Espensæus scripserunt; & quæ ad Basilium Fronto Ducæus obseruauit, vt & ea] quæ ad *tit. de consuetudine in pr.* notauimus.]

Traditiones itaque eandem vim & potestatem habent, atque ea, quæ scripto continentur *Can. Ecclesiasticarum, Dist. xi.* & contemptores huiusmodi consuetudinum coërcentur eodem modo, quo contemptores legum diuinarum, vt ait August. *Can. in his rebus, & sequenti Dist. xi.* & Vincentius Lerinensis *Commonitorio primo* diuinæ legis auctoritatem & Ecclesiæ Catholicæ traditionem coniungit.

Bimembris illa diuisio, in ius scriptum & non scriptum, & eius auctoritas confirmatur expressè *Can. 7 Syn. vii. & dicta Sess. 4.* Tridentini Concilij: quibus Synodis idem continetur, quod ex antiquioribus pluribus ante sæculis seruatum erat ex *dicto Can. Ecclesiasticarum Dist. xi.* iunctis *Canonibus 7. 8. & 9. Dist. eadem, & can. 9. Dist. xii.* [quibus adde Isidorum *lib. 1. de diuinis Officijs cap. ult. & Radulphum lib. de can. obseruat. Proposit. 2. 3. & 4. in volumine Auctorum de diuinis Catholica Ecclesiæ Officijs.*]

Aduersari videtur diuisioni propositæ Augustinus in *dicto Can. 8.* his verbis, *Quicquid in Ecclesia tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut traditio vniuersalis, aut certe propria, & particularis institutio.* Propriam, & particularem institutionem separat ab vniuersali traditione: particularis scilicet institutio, siue consuetudo certo loco inclusa intelligitur, quæ per loca terrarum, regionésque variatur, vt ait Augustinus: & earum consuetudinum aliquot exem-

pla suppeditat. *Can. II. Dist. XII.* In quibus hæc regula tenenda est, Consuetudines & traditiones Ecclesiasticas, licet diuersæ sint pro loco & tempore: si tamen nihil contra fidem Catholicam vsurpare dignoscantur, ita esse obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti, *can. 3. 4. 8. 9. II. Dist. XII.*

Ex quibus Canonibus, & autoritatibus augetur difficultas proposita, quòd Canonici iuris duas tantùm species assignauimus. Cui obiectioni satisfaciemus ita, si consuetudines particulares Ecclesiarum sub commune genus, iuris scilicet non scripti reducamus, sub quo potestate, *in diuini* continentur. Explicationis tamen causâ in plures species vna & eadem diuisio potest diffundi, cuius rei plura exempla occurrunt in iure ciuili, in quibus diuisio, quæ bimembris fuit ab initio, in plures iterum partes subdividitur. In §. *ult. Inst. de iustitia, & iure* ius omne diuiditur in publicum, & priuatum; & tamen apud bonos autores diuiditur in publicum, priuatum, & sacrum: reducetur tamen commodè illa tertia species, sacrum, ad ius publicum. Eadem forma in §. *1. Inst. de iure personarum*, personæ omnes diuiduntur in liberos & seruos: & tamen in §. *ult. eiusdem tituli* diuiduntur tripliciter in seruos, libertinos & ingenuos: libertini tamen & ingenui poterunt reduci ad liberos. Plura exempla inuenire licet apud Cuiacium *lib. 15. Observationum cap 33.* Methodi tamen & breuitatis causâ vniuersaliores, quæ ad summa genera reuocantur, proponendæ sunt magis.

Obseruandum II. licet consuetudo, siue traditio adscribatur iuri non scripto, & ab Isidoro appelletur *lex non scripta* in *can. 4. & 5. Dist. 1.* euenire tamen potest vt scripturâ consistat: quo casu est æqualis potestatis & autoritatis, siue ex scripto constet, siue non scripto: quòd aperte confirmatur ex locis supra notatis, & in Synodo *VII. act. 8.* his verbis. *Si quis omnem Ecclesiasticam traditionem, siue scriptam, siue non scriptam reijcit, anathema esto.* Male itaque Gratianus ad *dictum canonem 5.* adnotauit, consuetudinem, quæ in scriptis redacta est, ius vocari; quæ verò in scriptis redacta non est, generali nomine consuetudinis appellari tantùm. Nec enim scriptura immutat ius vel autoritatem consuetudinis: substantia enim consuetudinis, non ex literis, & scripturâ; sed ex tacito populi consensu repetitur: sicut à contrario legis substantia pendet ab exprello populi consensu, *l. Diuturna l. sed & ea. & l. ergo omne ff. de Legibus, innoto § ult. Inst. de iure naturali.* Expressum autem consensum dicimus, qui literis consignatur & exprimitur: vnde & legem à legendo dictam ait Isidorus: & legem esse commune nomen omnibus iuris scripti speciebus ait Theophilus § *4. Inst. de iure naturali.* Quod si contingat consuetudinem in scriptis redigi, idem dicimus, quòd de hypotheca dicit Iurisconsultus in *lege 4. ff. de fide instrumentorum:* fiunt de consuetudinibus, & traditionibus scripturæ, vt quòd statutum est, faciliùs per eas probari possit: & sine his autem valet quòd actum est, si habeat probationem. Et proprie traditiones dicuntur, quæ origine inspectâ, per manus ad nos peruenerunt, sine scripturâ. Et hæc de prima parte diuisionis, quæ pertinet ad ius non scriptum.

Sequitur altera pars diuisionis, quæ ad ius scriptum pertinet: species iuris scripti Canonici duæ sunt, sacræ Scripturæ Canonice, & Canones ipsi. Scripturæ autem Canonice proprie dicuntur, quæ autoritate Ecclesiæ & Canonum receptæ sunt, vt à libris incertis separentur. Enumerantur autem illi libri in Concilijs antiquis & recentibus, & sæpius à Patribus Græcis & Latinis. Sed vt hæc questio apertiùs, & ad institutum nostrum conuenientiùs tractetur, obseruandum est quòd dicitur in *can. 6. Nicænæ II. Synodi VII,* in iure Canonico & Synodis

Euangelicas & Canonicas causas tantum decidere, non alias. Consequenter ad decidendas & terminandas illas lites necessarij fuerunt duo Codices, Euangeliorum, & Canonum, qui solebant in Concilijs proponi in medio confessus & in throno collocari, vt ex eorum iure, tum ea, quæ ad dogmata & fidem pertinerent, expenderentur: tum etiam quæ ad mores. Vnde passim in Concilijs Græcis & Latinis occurrunt illæ solemnes formulæ: *Propositis in medio sacris & inuiolatis Euangelij Codicibus. Proferatur Codex Canonum. Legantur Canones.* Nempe post narrationem negotij ex vtraque parte, vt finem litibus imponerent, iubebant Patres Concilij recitari canones, qui ad illud negotium spectabant: quod in actis Conciliorum integris frequentissimè occurrit. Vnde Leo IV. in *canone de libellis Dist. xx.* ita loquitur de Codice canonum, & de canonibus ipsis post emendationem Conciliorum & Pontificum, ex quibus canones desumpti fuerant: *Isti omnino sunt, & per quos iudicant Episcopi, & per quos Episcopi simul iudicantur & Clerici.*

Iuris itaque Canonici, quod ex scripto consistit, duæ sunt partes summæ & principales, sacræ Scripturæ, & Canones. Scripturæ sacræ iterum subdiuiduntur in libros veteris, & noui Testamenti: de quorum numero, & autoritate variæ fuerunt controuersiæ. Nec enim vno consensu omnes ab omnibus Ecclesijs admissi fuerunt, siue de nouo, siue de veteri Testamento quærat: ideoque vt de cuiusque libri autoritate & veritate constaret, ad traditiones Ecclesiæ recurrendum fuit. Quid verò in ea re sequendum, non idem visum est Patribus. Habetur Hieronymi sententia in *can. 6. Dist. ix.* qui nec ipse sibi constat, vt licet colligere ex eiusdem *Prologo galatæ* & reliquis, quos in singulos libros specialiter scripsit. Item notari debet eam in rem Augustini sententia in *can. 6. Dist. xix.* [& ibi Correctores:] quem canonem malè & alieno loco Gratianus ad decretales Epistolas Pontificum transfert, vt apparebit manifestissimè ex integro loco D. Augustini, qui reperitur *libro 2. de doctrina Christiana cap. 8.* Subiicit enim vltimis verbis Canonis, qui relatus est à Gratiano, hæc verba summè notanda: *Totus enim canon scripturarum, in quo considerationem istam versandam dicimus, his libris continetur.* Et deinde enumerat libros veteris & noui Testamenti; nec vllas Pontificum decretales refert.

In huiusmodi autem controuersijs de numero, & autoritate librorum, hæc distinctio frequentissima fuit, vt tam veteris, quàm noui Testamenti triplex ordo librorum fuerit. Primus ordo, quædam scripturæ admittuntur ab omnibus, vel saltem plurimis Ecclesijs: & eæ dicuntur Ecclesiasticæ & canonizatae, id est ab Ecclesia & canonibus receptæ. Secundus ordo est earum, quibus contradicitur, id est quæ à multis Ecclesijs admittuntur, & à multis non recipiuntur; ad quas pertinet propriè consilium Augustini, de quo supra diximus. In exemplum licet accipere Machabæorum duos libros, quos certum est Africanam Ecclesiam accepisse legendos à Patribus cum reliquis Canonis, & constat ex Concilio Carthaginensi *3. can. 47.* sub Aurelio, cui Augustinus subscripsit; qui quidem Augustinus illos libros in Africa receptos commemorat *libro 11. de Ciuitate Dei, cap. 3. & lib. 18. cap. 36. 41. 42. & 43.* & in canone Scripturarum refert, quem ipse con-

scripsit dicto lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Imò & Innocentius I. eos probat nominatim in *Epistola ad Exuperium Tholosanum Episcopum*, cap. 27. Certum tamen est ab Orientalibus Ecclesiis, & aliis quibusdam contradici; non tamen esse vllam Ecclesiam, quæ eos damnet, & rejiciat omnino. Ex quibus colligitur, audacius paulò Anastasium Bibliothecarium libros illos, qui medijs sunt inter Canonicos & apocryphos, in librorum numerum retulisse, qui non recipiuntur ab Ecclesia. Et Prudentius Nicephorus Patriarcha Constantinop. quem Anastasius interpretabatur, tantùm refert eos inter libros, quibus contradicitur. Isti verò libri, de quibus est controuersia, recenseri solent inter eos, quos Græci ἀπὸκρυφα vocant, quorum autoritas ad roboranda illa, quæ in controuersiam veniunt, minùs idonea iudicatur, vt ait Hieronymus *prologo in Iudith*. Sed tandem ista controuersia decisa est Concilio Tridentino, *sess. 4. decreto de scripturis*, vt infra dicitur.

Tertio loco & ordine numerantur apocrypha, quæ non admittuntur vllius Ecclesiæ autoritate, sed ab omnibus pariter rejiciuntur, vt supposita & falsa, verbi gratia in veteri Testamento libri Enoch, Testamentum Moysis & eius assumptio; in nouo verò Testamento, itineraria Petri, Pauli, Ioannis, & reliquorum, quæ referuntur in dicto canone scripturarum à Nicephoro Patriarcha Constantinop. confecto, & ab Innocentio I. in *epistola ad Exuperium Tholosanum*; quæ non solum esse repudianda, verùm etiam damnanda iudicat. Huiusmodi librorum falsorum, ampliorem catalogum habemus apud Gelasium Pontificem in *can. 3. sancta. Dist. xv.*

Quia verò Scripturarum potissimum testimonijs & præsijs in confirmandis dogmatibus, & instaurandis moribus vtitur Ecclesia, sæpius de numero, & autoritate librorum magna contentione certatum est: nec de ea re constitit inter omnes Ecclesias, vt diximus; quod & catalogorum diuersitas satis prodit; ideòque Conciliorum autoritate terminanda fuit ea lis, quod non semel factum est. Hieronymus *prologo in Iudith* loco singulari ait, *nominatim Synodum Nicenam librum Iudith in numero sacrarum Scripturarum computasse, licet in Hebræo canone non foret*. Ex quo colligitur Canonem aliquem scripturarum in Synodo Nicæna factum fuisse, qui tamen hodie non extat. Post Nicenam in Laodicensi Synodo *can. ult.* catalogus refertur librorum sacræ scripturæ, à Nicæno diuersus: omittitur enim liber Iudith. Post Laodicensiam in Concilio Carthag. *III. can. 47.* huiusmodi Catalogus textitur diuersus à Laodicensi: probatur tamen Carthaginensis catalogus ab Augustino *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8.* qui dicto Concilio iuterfuit. Postremo Innocentius I. in *dicta epistola* alium etiam catalogum fecit: qui tamen catalogi, quia inter se non conueniebant, opus fuit vt tandem post multas controuersias certum aliquod decretum de scripturis promulgaretur; quod & factum est in Concilio Trident. *sess. 4.* vbi & index accuratus confectus est, non tantùm singulorum librorum, sed etiam versionum, nequa deinceps dubitatio suboriretur. Ita librorum differentiâ sublatâ, de qua supra diximus, simpliciter & generaliter duplex tantùm ordo colligitur; Canonicorum, & non Canonicorum; nec amplius occurrit illa media species, contro-

uerforum: quod & antea in Laodicensi Synodo actum fuerat, in cuius *can. ult.* omnes libri diuiduntur in Canonicos, & non Canonicos, siue *ἀκανονιστοῦς*; sicut in dicta epistola Innocentii I. & in Concilio Carthag. III. Quibus ita constitutis, satisfactum est dubitationibus veterum; nec videntur amplius necessaria consilia Hieronymi, & Augustini, de quibus supra dictum est, ad cognoscendas, & discernendas Scripturas controuersas; cum ex lectione solius indicis Concilii Tridentini omnis scrupulus eximatur. Ne tamen quod antiquitas ea de re senserit, ignoretur; vtile duximus progressum iuris indicare. Et hæc de illa parte Iuris scripti, quæ ad sacras Scripturas pertinet.

Exposuimus primam & nobilissimam Iuris Canonici scripti speciem, quæ ad canonicas Scripturas pertinet, in quibus constantissimè hæc regula seruari debet; vt omnibus posterioribus Episcoporum & Tractatorum literis & scriptis præponantur, & plenissima fides eis adhibeatur: imò si quid in illis inuenitur, quod sensui nostro repugnet; hunc honorem & timorem deferre debemus, vt contra sentire non liceat. Et hæc regula, siue præceptum ex Augustini scriptis refertur in *can. 3. §. 8. 9. & 10. Dist. IX.*

Sequitur secunda species Iuris scripti, quam ad Canones pertinere diximus; & hanc speciem rectè tripartitam dixerimus eadem forma, & figura loquendi, qua ius priuatum à Iustiniano dicitur tripartitum; quia collectum est ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Tripartita igitur est ista species: Canones enim omnes collecti sunt ex Conciliis, aut ex Constitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum; quæ partitio confirmatur à Gelasio in *canone tertio Dist. XVI.* & à Leone IV. in *can. 1. Dist. XX.* qui & hunc ordinem obseruant, vt sanctorum Conciliorum Canones præferant; deinde decretales epistolæ subiiciant, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur cum Canonibus apud nos, vt loquitur Leo IV. in dicto *can. 1.* quæ verba summè notanda sunt, & alio loco commodiùs explicabuntur. Postremò ex Patrum scriptis, quædam dicta excerpta proponunt, quæ non modicam in iure Canonico obtinent auctoritatem; de quibus iudicium Leonis IV. in dicto *can.* summè notandum est: *Si tale contigerit, vel emerferit inusitatum negotium, quod minime possit per istos definiri (id est per Episcopos & Pontifices;) tunc si illorum, quorum meministis, dicta Hieronymi, Augustini, Isidori, & cæterorum similiter sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimitè sunt retinenda ac promulganda.* Quod ita tamen debet accipi, vt huiusmodi autores & dicta eorum, vel per aliorum Patrum grauiorem auctoritatem, doctiorèque prudentiam, vel per Concilia liceat reprehendere, si quid fortè in eis à veritate deuiatum est; quod Augustinus præcipit in *can. 3. 4. 8. 9. & 10. Dist. IX.* & Augustini sinceritas admiratione digna est, qui eo iure in suis scriptis vti postulat, quod in alios antè statuerat.

Eundem ordinem secutus est Gratianus in Decreto: agit enim primò de Conciliorum origine, auctoritate, differentia, & numero, in *Dist. XV. XVI. XVII. & XVIII.* deinde in *Distinct. XIX.* de epistolis decretalibus Pontificum, & earum vi & potestate: postremò in *Dist. XX.* tractat de dictis & scriptis Patrum. Et primò quærit an eandem vim

& robur obtineant, atque decreta & Constitutiones Pontificum. Rationem dubitandi adfert, quod plurimi Tractatorum & Patrum Ecclesiæ scientia præcellant Pontificibus; vnde nonnullorum Pontificum constitutis Augustini, Hieronymi, atque aliorum dicta videntur præferenda: quam dubitationem hac distinctione soluit, aliud esse scripturas interpretari, aliud negotiis finem imponere. In negotiis definiendis, ad quæ Canones potissimum pertinent, non tantum necessaria est scientia; sed potestas, dignitas, & autoritas requiritur, quæ iurisdictionis est, quam soli Episcopi & Pontifices habent; Tractatores & Partes Ecclesiæ non habent. Itaque non mirum est, si in sacrarum Scripturarum expositionibus eis aliquando præponantur; in causis vero definiendis secundum tantum post eos locum mereantur. Conciliorum autem decreta scriptis & dictis Patrum præferenda sunt; imò per Concilia possunt reprehendi, vt nominatim dicitur in *can. 8. dist. ix.* Ex quibus omnibus colligitur Concilia obtinere primum ordinem, secundum Pontificum constituta, tertium dicta, seu scripta Patrum.

Et quidem de dictis Patrum sufficiunt quæ diximus. De Constitutis Pontificum & Decretalibus, earumque diuisione multiplici & autoritate, alius erit dicendi locus; in presenti tantum quædam addemus de Conciliorum autoritate & differentia. Post sacras Scripturas primam autoritatem obrinent in Ecclesia sancta Concilia: imò partem Scripturarum constituunt. In Actis enim Apostolorum origo prima Conciliorum inuenitur, verbi gratia, in *cap. 1. 4. 6. 8, & 15.* quod & rectè nonnulli Collectores in fronte Conciliorum præmiserunt. Eminent verò inter illa Concilium Hierosolymitanum, ex vniuersa, quæ tunc erat Ecclesia, collectum, vbi de legalibus ceremoniis; maximè verò de circumcissione controuersia grauis apud Antiochiam nata dissoluitur.

[Cæterum hæretici quidam, vt Eunomius, dixerunt ex hoc loco, in quo dicitur: *visum est Spiritui Sancto & nobis, Actorum* scilicet *cap. 15.* Spiritum Sanctum non esse Deum, quia coniungitur Apostolis, qui non sunt Dij. Quibus respondet D. Chrysostr. *Serm. de lege & fide*, non esse nouum in scriptura coniungi Deum cum hominibus. Nam *Exodi 14* videre est coniungi Deum Moyfi his verbis: *Credidit Populus in Deum & in Moysen. Et 1. Regum* scriptum est; *& timuit omnis populus Deum & Samuelem.* Et alio loco dicitur: *Gladius Deo & Gedeoni.* Et concludit in hunc modum: *Vt enim coniungitur Moyses Deo, non vt par honore, sed vt minister Dei; & Samuel, non vt æqualis Deo dignitate, sed vt Propheta; & Gedeon, non vt eiusdem honoris, sed vt belli dux: ita iuncti sunt Apostoli Spiritui Sancto, non vt Dij, sed vt Prædicatores Euangelii.* Et D. Basilius idem respondet *lib. 5. aduersus Eunomium*, vtiturque iisdem exemplis; aitque *Apostolos dixisse: visum est Spiritui Sancto, & nobis, non seipsos componentes Spiritui Sancto, sed supponentes.* Apostoli ergo licet haberent Spiritum Sanctum, vt de se testatur D. Paulus *1. ad Cor. cap. 7.* cum ait: *puto autem quod Spiritum Dei habeam:* (dicit autem puto vel credo, non quod dubitaret, sed modestiæ tantum causa;) & abundarent etiam eius gratia, vt non viderentur indigere consilio ad ea, quæ agenda erant: non tamen voluerunt in dicto *cap. 15. Act.* definire, an gentes essent

circumcidendæ, quæ transire volebant ad Christianam fidem, ante quam essent communiter congregati. Ibi enim orta dicitur contentio inter Iudæos factos Christianos, & Gentiles, fidem quoque suscipere volentes. Iudæi enim & Antiochiæ & Hierosolymis contendebant non posse Gentiles admitti ad fidem Christianam, nisi prius circumciderentur, & alia legis Mosæicæ præcepta seruarent. Quibus cum Paulus & Barnabas Antiochiæ resisterent, tandem conuenerunt inter se, vt Paulus & Barnabas mitterentur Hierosolymam ad consulendum super ea quæstione reliquos Apostolos, qui maturo consilio habito censuerunt gentibus fidem recipientibus non esse imponendam hanc necessitatem, vt essent obnoxii in totum legi Mosæicæ: esse tamen quædam in illa lege contenta, quæ gentilibus essent necessariò obseruanda, & quæ illi apud gentes minimè obseruabant; imò liberè exercebant: nimirum 1. vt ab Idolothytis abstinerent. 2. à sanguine & suffocato. 3. à fornicatione, quatenus scilicet ea apud eos erat in vsu. Et hæc tria tantum ex legibus Mosæicis obseruanda præscribuntur gentilibus *cap. 15.* Nam Iudæi hæc tria obseruabant. Singula exempla doctissimis notis explicauit Fronto Ducæus in *appendice ad Basilium.*]

Ex illo itaque principio & fonte deriuata est in Ecclesiam Conciliorum frequens & necessaria consuetudo; quorum saluberrimam esse autoritatem, ait Augustinus in *can. Illa aut. m. Dist. x 11.* Augustini tamen consilium & ἐπιπέλαστον, quoties de Conciliis occurrit controuersia, obseruandum est in *lib. 3. cap. 14. contra Maximinum Arianum Episcopum*, qui Ariminense Concilium opponebat Nicæno: respondet ita Augustinus. *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium: nec ego huius autoritate; nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione conurret.* Quod tamen prudenter & secundum leges illius disputationis intelligi debet, vt constat ex initio *lib. 1. contra Maximinum.* [Eodem spectat *epistola Concilii Alexandrini scripta nomine Concilii ab Athanasio tomo 1. apud Athanasium pag 717. 718. & seq.*]

Conciliorum verò duplex est diuisio. Vel enim vniuersalia sunt & œcumenica, vel particularia. Vniuersalia & œcumenica, quia sunt ex vniuerso orbe Christiano, eademque ratione plenaria etiam dicuntur; de quorum autoritate ita loquitur Augustinus *lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 3.* *Ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias sunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ sunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedunt.* Inter illa verò Concilia œcumenica quatuor sunt celeberrima, Nicænum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum & Chalcedonense; quæ sicut sancti Evangelii quatuor libros se suscipere & venerari fatetur Gregorius I. in *can. sicut Dist. xv.* Hæ sunt quatuor Synodi principales fidei doctrinam plenissimè prædicantes, *can. 1. Dist. xv.* quamuis Concilia reliqua œcumenica, quæ postea legitimè sunt conuocata, maximæ sint etiam venerationis & autoritatis; vsque aded vt & illa quatuor sequentia vsque ad octauum, in confessionibus fidei contineantur, quas summi Pontifices & maiores Patriarchæ, & Episcopi solebant in suis promo-

tionibus scribere ad Episcopos primarum sedium, vt constat ex *can. 8. Dist. xvi. & ex registro Gregorii primi epistola 24. 25. & 26. lib. 1. registri*, vbi epistolæ huiusmodi, sicut & alibi, sæpius vocantur Synodica; quia non soli, sed habito frequenti consilio eas scribebant, & ad Episcopos dirigebant.

Obseruandum autem imprimis quod de Conciliis œcumenicis scribit Augustinus loco suprâ dicto, *sæpe Concilia vniuersalia emendari à posterioribus, cum al'quo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod laebeat, sine vlllo typho sacrilega superbia, sine vlla inflata ceruice arrogantia.*

Quod si quæ sunt Concilia à sanctis Patribus instituta, præter œcumenicorum autoritatem, & custodienda, & recipienda decernuntur dicto *can. 1. & 3. Dist. xv.* Huiusmodi autem particulares Synodi subdividuntur tripliciter. Primò sunt vnius tantum ciuitatis, quæ ab vno Episcopo, & ex Clero suæ ciuitatis conuocantur, quibus Episcopus præsidet. Secundò sunt vnius prouinciæ, quas Metropolitanus conuocare debent, eisque præesse, *can. 2. 4. & 7. Dist. xviii.* quæ Concilia perfecta vocat Concilium Antiochenum *can. 16. ad differentiam Synodorum vnius ciuitatis, quæ minus plenæ & perfectæ videntur.* Tertio Synodi sunt plurium simul prouinciarum, quas Synodos vocant Diœceseos: Diœcesis enim in iure & in canonibus plures simul continet prouincias. De his meminit *lex 23. Cod. Theodosiano de Episcopis & Clericis, & canon penult. Concilii Constantinopolit. in Collectione Græca, [τὰς τῆς Περικίης, ἢ τῆς Ἀσιανῆς, ἢ τῆς Τετρακτικῆς διοικήσεως Μητροπολίτας,] & canon duodecimus Concilii Antiocheni, vbi & appellantur maiores Synodi, quia conuocantur à Patriarchis, vel Primatibus ex vniuersa diœcesi, pluribus metropolitanis in vnum conuenientibus [ἐπὶ μαζέται Ἐπισκοπῶν σινοδῶν.]* Tantæ verò sunt autoritatis, vt aliquando vniuersalia dicantur, & plenaria, quæ frequens appellatio est in Conciliis Africæ: imò & in Conciliis Gallicanis, & Hispanicis hæc eadem appellatio sæpè reperitur; quando nempe ex vniuersitate & soliditate Gallia, Africa, & Hispania conuocantur, non tantum separatim ex vna prouincia.

In omnibus verò Conciliis tam œcumenicis, quàm particularibus, hæc regula non omittenda est; vbi discors sententia inuenitur in gestis Conciliorum, illius Concilii magis teneri sententia debet, cuius aut antiquior, aut potior extat autoritas; quæ regula continetur in *can. 28. in fine Dist. 1. & can 11. Causa xxiii. Qu. 2.* quam iterum inculcat Innocentius III. in celebri epistola [124. lib. 2.] ad Compostellanum Episcopum, de controuersia exorta inter Compostellanum & Bracarensem Episcopum super finibus metropoleos Gallecia. [*Cum secundum Concilium Bracarense præcesserit Emeritense Concilium, & celebrius habeatur, vt de quo plura sunt assumpta capitula in corpore Decretorum, patet profectò, quod illud debet isti præferri, sicut tantum habetur in canone: quia quoties in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illud est præferendum, cuius antiquior & potior extat autoritas.*]

Obseruandum postremò, non esse temere credendum Gratiano *Dist. xvii. & xviii.* in quibus asserit Episcoporum Concilia esse inualida &

ad definiendum & constituendum; non autem ad corrigendum vel exequendum: quod aliter se habere ex locis supra citatis constabit. Verùm ea quæstio indiget prolixiori disputatione, quam aliquando accuratè instituemus.

P A R S S E C V N D A.

De variis Canonici iuris Collectionibus, & primò Orientalium, seu Græcorum.

EXPOSITIS duabus summis diuisionibus iuris Canonici, earumque speciebus sigillatim & fusè satis; consequens est vt ad nobiliores Canonum Collectiones indicandas veniamus, quia ex illis fontibus, quos aperuimus *cap. superiori*, potissimùm deriuatæ sunt. Collectiones enim omnes iuris Canonici, vel ad fidem, vel ad mores, seu Ecclesiasticam disciplinam pertinent; itémque collectæ sunt ex iure scripto, vel non scripto: præcipuum tamen locum in Collectionibus antiquissimis Concilia sibi vindicant; ideòque pauca generaliter ad ea spectantia delibauimus.

Obseruandum Concilia siue vniuersalia, siue particularia duplici ratione, & methodo digesta & composita ad nos peruenisse: quorundam enim habemus acta integra; reliquorum canones tantùm seiunctos & separatos ab actis.

Acta illa, quæ à Græcis appellantur vulgo *οεκημενα*, exactissimè & plenissimè continent singula, quæ in Conciliis agitabantur, siue ad mores, siue ad fidem, siue etiam ad solemnia, ordinem & formam iudicandi pertinerent: actoris & rei allegationes, disceptationes omnes, singulorum Episcoporum sententias, interlocutiones, & decreta iudicum: ita vt nihil omnino in illis prætermitteretur. Huiusmodi acta supersunt Concilii Ephesini, Chalced. & aliorum; à quibus diuersæ sunt Conciliorum historiae, velut historia Nicæni primi à Gelasio Cyziceno redacta, & Sabini Heracleæ Episcopi, de qua Socrates *lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 11.* & sæpius: quæ tamen cautione adhibita legenda sunt.

Postremò Canones solos habemus plurium Synodorum, quarum acta interciderunt, veluti Niceni, Constantinop. primi, & omnium particularium Synodorum, quæ habentur in antiquissima Collectione Græcorum, de qua mox dicemus.

Sed vt aliquem ordinem in hac tractatione obseruemus, Collectiones omnes iuris Canonici, quas potissimum ex Conciliis, tanquam ex puris & propriis fontibus fluxisse diximus, facilioris intellectus, & docendi gratia, diuidemus in duas species, in Collectiones Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis, & singulis singula capita separatim assignabimus; quod & habet rationem: licet enim Ecclesia sit vna per totum orbem diffusa, & in vnitatem fidei conueniat; tamen in his, quæ ad disciplinam pertinent, sæpe variatum est, nec semper inter omnes Ecclesias constitit, vt ostendimus *cap. superiori in diuisione 1. parte 2.* quæ ad mores & disciplinam refertur. Sed quod ad rem proximè pertinet, quosdam Canones & Concilia probauit & suscepit Ecclesia

Orientalis, quæ vel omnino reiecit, vel pro parte tantum admisit Occidentalis & Romana Ecclesia, ut vel ex his, quæ diximus supra de sexta Synodo licet colligere. Rectè verò, & ordine nos arbitremur facturos, si faciamus initium à Collectionibus Orientalis Ecclesiæ, tum quia fides ab Oriente ad Occidentales manauit; tum quia Concilia primò, & nobilissima ibi sunt celebrata, vnde & ad nos peruenerunt. Quoniam tamen infinitum esset, & instituto nostro contrarium omnes Collectiones percurrere; mentionem tantum faciemus præcipuarum, in quibus tria inuestigabimus, Originem, Artem & auctoritatem cuiusque Collectionis.

Antiquissima Orientalium Collectio continet Canones duarum tantum Synodorum generalium, Nicenæ primæ, & Constantinop. primæ; quinque verò particularium, scilicet Ancyranæ, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochenæ, & Laodicenæ. Quis verò fuerit autor illius Collectionis, ignoratur: conijcere tamen possumus tempus, quo facta fuit; scilicet paulò post Concilium Constantinop. primum, & ita circa tempora Theodosii magni. Coniectura nostra nititur hoc fundamento, quòd Collector Ephesini, & Chalcedonensis Concilij Canones prætermiserit. Desinit enim in canonibus Concilij Constantinop. primi, nec ultra progreditur; ut ait nominatim Dionysius Exiguus sub finem epistolæ, quam præfixit interpretationi Collectionis Græcæ. Verba Dionysij notanda sunt: *Regulas Nicanae Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, siue quæ ante erant, siue quæ postmodum facta sunt, usque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Constantinopolim conuenerunt sub ordine numerorum, id est à primo cap. usque ad 165. sicut habetur in Græca auctoritate digessimus.* Quæ verba idè adscripsimus, ut vitetur error illorum, qui in antiquam illam Collectionem Græcam aliquos Canones ex Concilio Constantinop. retulerunt, & Canones Ephesinos: sunt enim ab alio Collectore postea inserti, & adiuncti huic antiquæ Collectioni; sicut & Chalcedonensis Concilij canones Dionysius Exiguus profiteretur se addidisse in dicta epistola. Grauior est error illorum, qui Concilium Ephesinum desiderari conueruntur in editione Dionysij Exigui, & eam imperitius supplere conati sunt, subrogantes Concilium particulare Alexandrinum, à Cyrillo conuocatum contra Nestorium, pro Concilio Ephesino œcumenico, seu vniuersali, quod deinde contra eundem Nestorium congregatum est. Et hæc de origine, & tempore illius Collectionis.

Ars verò & methodus duplex est. Primò ordo temporis, quo quæque Synodus habita est, obseruatur; hac tamen prærogatiua Nicæno Concilio concessa, ut antiquioribus præponatur. Secundò, perpetua serie & arctissimo quodam vinculo omnes Canones coniunguntur; nec separantur vnius Synodi Canones ab alterius Synodi canonibus, sed coniunctim & sub eadem consequentia numerorum referuntur, quasi forent omnes vnius & eiusdem Concilij, ut ex loco supra citato Dionysij Exigui colligitur, & ex Concilio Chalcedonensi act. 4. & 11. apertè confirmatur; in quibus Canones desumpti ex illa Collectione sub eadem numerorum & ordinis obseruatione recitantur, & secundum illos lites dirimuntur: quod summâ prudentia, & cautione effectum

tum est. Numerus enim Canonum continuus, & non interruptus ad hoc maximè confert, ne quis per fraudem & dolum, quod sæpissimè contingit, falsos & supposititios Canones subiiceret; cuius ordinis & numeri autoritate iam olim in Gallia sub Chilperico, in causa Prætextati Rhotomagensis Episcopi, nostri non tulerunt alios Canones sibi obtrudi, vt constat ex Gregorio Turonensi *lib. 5. cap. 18.* & multò post ea tempora sub Carolo Caluo doctissimus Hincmarus Remensis refellit illos, qui novos Canones, & incognitos antiquis, in Concilium Nicænum infercire conabantur, vt constat ex *opere 50. Capitulorum cap. 21. aduersus Hincmarum Laudunensem.* Quæ difficultas circa numerum Canonum Nicæni Concilii non est noua, vt constat ex *canon. 12. & 13. Dist. xvi. ex Concilio Africano, & epistolis Cyrilli Alexandrini, & Attici Constantinop. super ea controuersia ad Atricanos Patres in vi. Carthag. Concilio conuocatos.* Ex quibus locis sæpiùs Galli iura sua & libertates tutati sunt aduersus innouatores. Prætereà ex illa coniunctione numerorum discimus omnes diuersarum Synodorum canones, qui in illa Collectione referuntur, eodem iure censi, & quodammodo exæquari, vt infra fusiùs declarabimus.

Hactenus de origine & arte, seu methodo, Collectionis antiquissimæ; superest, vt illius autoritatem in iudiciis Ecclesiasticis maximam semper fuisse ostendamus. Et quidem illius autoritate perpetuo vtuntur Patres Chalcedonensis Concilii: nam in *actione 4.* citant *canones 4. & 5.* Concilii Antiocheni, & in *act. 11.* eiusdem Concilii *Canones 16. & 17.* Obseruandum verò Canones illos allegari in Concilio Chalcedonensi, suppresso nomine Concilii Antiocheni, & numero illo, quo in Antiocheno separatim habentur; sed tantùm generaliter recitantur ex Codice Canonum; nempè sub eodem ordine, & consequentia numerorum, quo in illo Codice digesti erant: scilicet *Canon 4. & 5.* Concilii Antiocheni in *actione 4.* Concilii Chalcedonensis recitantur *vt 83. & 84.* nec additur nomen Concilii, ex quo collecti sunt. Itémque in *act. 11.* eiusdem Chalcedonensis Concilii *canon 16. & 17.* Concilii Antiocheni recitatur *vt 95. & 96.* quod & sæpiùs occurrit in *actis* dicti Concilii Chalcedonensis. Ex quibus constat Collectionem illam Ecclesiam vniuersam plurimi fecisse, cùm in decidendis controuersis solam ferè adhiberet. Et quidem Hincmarus Remensis in illis locis citatis ex Concilio Chalcedonensi, prudenter vim & vtilitatem Collectionis huius loco suprà citato primus ostendit; cuius vestigia secuti sunt deinde nostro seculo viri doctissimi, qui Collectionem illam sub nomine Codicis Ecclesiæ vniuersæ ediderunt. Annotandum tamen eos addidisse Canones quosdam ex Concilio Constantinopolit. I. de quibus non conueniebat inter Ecclesiam Occidentalem & Orientalem; prætereà adiunxerunt Ephesinæ & Chalcedonensis Synodi canones, qui, vt diximus, desiderabantur in illa vetustissima Collectione.

Posteà ad plenissimam huius Codicis confirmationem soluenda est difficultas maxima, quam attigimus suprà, sed hoc loco accuratiùs erit discutienda; quia in varias sententias nostro seculo viri doctissimi abierunt: quæritur scilicet, quia Collectio illa constat ex Conciliis æcumenicis & particularibus, siue localibus, an canones omnes illius Col-

lectionis sint eiusdem roboris & autoritatis. Et quidem *capite superiori* ostendimus in Synodis œcumenicis nullam esse dubitationem, si de iure Canonico quærat: idem licet affirmare de iure ciuili ex *lege 3. 5. 6. & 7. Cod. de summa Trinitate & fide Catholica, & ex Nou. 115. cap. 3. §. si quis de prædictis, & Nouella 131. cap. 1.* quibus in locis specialiter tantum fit mentio Synodorum quatuor œcumenicarum; particulares præmittuntur: quin & in *can. 2 Dist. xv. & in can. 8. 9. & 10. Dist. xvi.* vniuersalia tantum Concilia videntur comprobari.

Huic dubitationi vt satisfaciamus, concedendum est quidem, quod generaliter diximus supra, differentiam constituendam esse inter œcumenicas & particulares Synodos; in quibus seruandum quod præscribit Gelasius in *can. 3. sancta Romana* initio *Dist. xv. Sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus hætenus instituta, post istorum quatuor autoritatem,* (id est œcumenicorum quatuor, quæ supra retulerat in eodem *can.*) *& custodienda & recipienda decernimus, & mandamus.* Et hæc in vniuersum & generaliter de omnibus Conciliis particularibus, intelligenda sunt: sed hoc singulare in illis quinque particularibus, quæ in nostram Collectionem diximus esse collata; vt eandem vim & robur in iudiciis Ecclesiasticis obtineant, atque ipsa œcumenica: idem quippè in illis contingit, quod Iustinianus in suarum legum compositione monet, excerpta ex cuiuslibet Iurisconsulti libris in Pandectas relata, perinde esse accipienda, atque si Imperiali ore diuinitus essent profusa; quia confirmationem accommodauit Iustinianus: ideoque quasi vna & simplex eiusdem Iustiniani legislatio, obtinent in iudiciis omnia, quæ in Pandectis & in Codice reperiuntur; quamuis alios autores inscriptos habeant. Idem etiam de antiqua Collectione licet affirmare, non esse distinguendum inter œcumenicas & particulares illas Synodos, quæ vno & eodem Codice simul continentur; nempè quia Conciliis œcumenicis nominatim confirmatæ sunt & comprobatæ: quod apertius ostendere debemus statim. In *can. 1. Concilii Chalcedonensis* statuitur: *Canones, qui à sanctis Patribus huc vsque constituti sunt, obseruari æquum censuimus:* quæ verba, quia generaliter & indistinctè afferuntur de omnibus Synodis, rectè accipientur etiam de particularibus illis quinque, vt Zonaras & Balsamo notant ad *illum Canonem:* quod & verissimum esse ostendemus, si Patres ipsos eiusdem Concilii Chalcedonensis adhibeamus sui Canonis interpretes. Nam supra retulimus, ex locali Synodo Antiochena, quæ est ex illis quinque, Patres Chalcedonenses in pluribus controuersis decidendis Canones desumpsisse; nullâ differentie notâ, an generalis, vel particularis foret. Post Chalcedonensis Synodi *dictum Canonem primum,* eodem sensu Iustinianus in *dicta Nouella 131. cap. 1. vicem legum ob inere statuit Canones Ecclesiasticos, à sanctis Synodis quatuor iam editos & promulgatos, quam confirmatos, & recipiendos;* confirmationem & approbationem, de qua supra diximus, spectauit. Sed quia sub generalibus verbis latere videbatur illa confirmatio, ne qua postea difficultas occurreret; in Synodis œcumenicis duabus in *vi. can. 2. & in vii. can. 1.* nomina Synodorum particularium, quæ confirmantur sigillatim fuerunt expressa. Et huic confirmationi Ecclesiam Occi-

dentalem consensisse constat ex *can. de libellis, Dist. xx.* in quo à Leone IV. summo Pontifice, quinque illæ Synodi particulares nominatim recensentur eadem serie & ordine, quo apud Græcos; si rectè Canon ille intelligatur: nam vel in editione Romana laborat, vt ostendimus infra.

Supereft difficultas alia maioris momenti: obseruandum est enim, licet antiqua illa Collectio multis annis post Concilium Sardicense fuerit composita, nempe statim post Concilium Constantinopolit. I. licet Sardicense Concilium in Orientis partibus habitum fuerit, vt loquitur Nicolaus Papa, scribens ad Clerum Constantinopolit. in *can. ult. Dist. xvi.* & illius Concilii Canones Græce & Latine conscripti fuerint; in ea tamen collectione fuerunt omiffi: imò quod magis; Sardicensis loco Antiocheni Concilii Canones fuerunt inserti, quamuis contra Concilium Antiochenum Sardicense postea conuocatum fuerit. Auget dubitationem, quod Sardicense Concilium in celeberrima causa Athanasii fuerit habitum, qui damnatus fuerat Antiochiæ: in Sardicensi inter Occidentales plerique Orientis Episcopi subscripserunt: denique tantæ fuit autoritatis Sardicense, vt appelletur œcumenicum ab Imp. Iustiniano in *edicto de fide*; quod edictum dictatum fuisse in quinta Synodo œcumenica ab Episcopis, refert Hincmarus in *opere 50. Capitulorum cap. 26.* & in nouissima editione Conciliorum Romanâ, inter œcumenica refertur statim post Nicænum, & vt eius appendix: Antiochenum verò à Semiarianis Episcopis in Oriente est habitum in necem magni Athanasii, quem quidam Orientales in Synodo Antiochena per fraudem nitebantur opprimere: in quem Athanasium Synodi Antiochenæ *Canones 4. 11. 12. 14. & 15.* oblique statuti sunt, vt ei appellationis ad sedem Apostolicam remedium adimeretur.

Sed vt breuiter hunc difficilem nodum soluamus, obseruandum in his, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, Canones Antiochenos fuisse admissos in Orientali Ecclesia, etiam illos, quibus Athanasius oppressus est. Ad Rom. enim Episcopum appellari ægre ferebant Orientales. Vnde & multis annis post Athanasii damnationem & restitutionem, post Sardicensis Synodi Canones promulgatos, in causa Cyrilli Hierosolymitani eodem iure vsi sunt Orientis Episcopi, quod in canonibus suprascriptis Concilii Antiocheni continetur: adeo vt conuocata Synodo Constantinopolim contra Ioannem Chrysostomum, cui præerat Theophilus Alexandrinus, eoque condemnato, Theophilus & Episcopi reliqui Chrysostomi appellationem ad Sedem Rom. neglexerint; qui ad Innocentium I. summum Pontificem confugerat. Nec defuit Innocentius I. Literis enim ad Chrysostomum, & ad Clerum Constantinop. datis, causam Chrysostomi suscepit; in quibus literis reiicit canones illos Antiochenæ Synodi, quibus appellatio generaliter inhibetur, vt constat ex Sozomeno *lib. 8. cap. 16.* qui Chrysostomi & Innocentij epistolas refert. Occidentales nihilominus permanserunt in eadem sententia; vnde & dissensio maxima inter Ecclesias Orientales & Occidentales exarsit. Concilia scilicet Conciliis, & Canones Canonibus opponebant; Occidentales Sardicenses, Orientales verò Antio-

De causa Cyrilli Hierosol. vide Socratem *lib. 2. cap. 32. pag. 602 in fine & 603. & cap. 33.* Sozomenum *lib. 4. cap. 21. initio strictim & cap. 23. 24. & ult.* Theodoretum *lib. 2. cap. 27.* Nicephorum *lib. 9. cap.*

43. sub finem
 & cap. 46. Hist.
 Tripartitā lib. 5.
 cap. 34. in fine,
 ibi: sicut in pu-
 blicis iudiciis, li-
 bellis uteretur ap-
 pellatoriis. Ad-
 de cap. 37. &
 40. Socrates
 loco citato pag.
 603. Ἐκκλησιασ-
 τικῆς ἐν συνοχῆς
 διαδουεῖα χριστι-
 ανοῦ. Le Car-
 dinal du Per-
 ron en sa Re-
 plique, page
 426. & 438. vbi
 tamen fallitur.
 Sed adde A
 Costa ad tit. de
 libelli oblatione,
 & ad tit. de Iu-
 diciis.

Adde argumē-
 tum ex *Epistola*
 Innocentii I. ad
 Clerum Con-
 stantinopolitanū
 iunctā *epistola*
 5. Concilii Ita-
 liæ à Sirmondo
 edita.

chenōs: quæ controuersia sæpius renouata est, vt ex historia Ecclesiastica colligere licet; aded vt Photius Nicolao I. scribens obiecerit Sardicenses Canones in Orientis Ecclesiis non suscipi, vt colligitur ex *epistola* Nicolai I. ad Clerum Constantinop. cuius pars habetur in *can. vlt. Dist. xvi.* Vnde in *præfatione* antiquissima Sardicensis Concilii adnotatur, Sardicenses Canones non apud Græcos, sed apud Latinos magis inueniri. Eandem præfationem repetit Hadrianus I. in *Collectione Canonum*, quam obtulit Romæ Carolo Magno: cui conuenit quod ait Dionysius Exiguus in *epistola*, quam præfixit suæ *Collectioni canonum*, de qua sequenti cap. agemus. In *Chalcedonenſis Concilii decretis finem esse ait Græcorum Canonum*, quibus se subdere monet Sardicensis & Africani Concilii decreta, quæ Latine sunt edita. Vnde in Concilio Constantinop. primo *can. 5.* appellatur nominatim, τοὺς νό-
 μους τῶν
 δυτικῶν, id est *romus*, sine liber Occidentalium. Ex quibus efficimus Sardicenses canones non admissos fuisse statim ab initio in Oriente; maximè propter Canones de appellationibus ad Sedem Romanam, qui aduersabantur Antiochenis, quos Episcopi Orientales, vt diximus, ediderant. Et hæc est ratio, cur Græca illa *Collectio* antiquissima canones Sardicenses non habeat. Nam & eandem ob causam Africani Patres eos neglexerunt, quia eadem prærogatiua, qua Orientales, se tuebantur; nec appellationes transmarinas æquo animo admittebant, vt constat ex pluribus locis Conciliorum Africanorum. Et hæc primò sufficiant, vt respondeamus quæstioni propositæ, cur Sardicensis Synodi canones in antiquissima *Collectione Græcorum* desiderentur.

Ex decisione verò huius difficultatis apparet non rectè à quibusdam *Collectionem* illam antiquam decorari titulo specioso & generali nimis *Codices Canonum Ecclesiæ vniuersæ*. Cautius & prudentius multò ex his, quæ diximus, inscribetur *Collectio Canonum Orientalium* tantum: ita enim appellant Dionysius Exiguus, Martinus Bracarenſis, & Hadrianus I. Si enim *Collectio* illa, tanquam *Codex vniuersæ Ecclesiæ* suscipiatur, quo solo scilicet Catholica Ecclesia per vniuersum orbem diffusa utebatur; cur Sardicensis Concilii (quod & aliquando œcumenicum vocari diximus) Canones omiſsi? cur Arelatenſis primi in causa Donati? quod Augustinus plenarium, & vniuersale & vniuersæ Ecclesiæ Concilium appellat *lib. 2. de Baptismo cap. 9. & Epistola 162.* Cur Valentinum I. in Gallia? Cur Eliberinum in Hispania, & aliquot Africana fuerunt omiſsa? in quibus Canones editi, qui doctrina & pietate Græcis canonibus exæquari possunt. Sed sibi & suis, id est Orientalibus, Autor ille, vt diximus, operam dabat. Itaque illi non est imputandum, si Synodorum Occidentalium Canones omiserit, apud suos in vsu non receptos, vel omninò incognitos

Nondum absoluimus: hæret adhuc scrupulus: demus enim iustam fuisse causam omittendi Sardicensis & reliquorum Occidentalium, cur tamen Antiocheni inserti fuerunt, ab hæreticis Episcopis, nempè Semiarianis, vt diximus, compositi? Nam, vt ait Innocentius I. in *epistola ad Clerum & populum Constantinopolitanum*, quam apud Sozomenum extare diximus *lib. 3. de Canonibus Antiochenis* loquens, &

eos cum Sardicensibus comparans : *haereticorum commenta Canonibus Catholicis assumere non licet, & addere aliquid non est permiffum.* Quod intelligendum esse de Canonibus Antiochenis indicant Georgius Patriarcha Alexandrinus in *vita* Ioannis Chrysoftomi sub finem, quæ extat apud Photium in *Bibliotheca*, [Palladius, vel potius scriptor vitæ, æqualis Chrysoftomo, & ex eo Georgius, & eius abbreviator Photius, vt & Anonymus in *vita* eiusdem S. Chrysoftomi.] Respondemus separanda esse, quod toties inculcauimus, ea, quæ sunt fidei, ab illis, quæ sunt disciplinæ : Antiochenam fidei formulam improbari ; Canones verò, qui ad disciplinam & politiam Ecclesiasticam in ea Synodo promulgati fuerint, non damnari. Si enim Canones illos excipias, quos notauimus suprâ, tacitè ius appellationum ad sedem Romanam adimere ; reliqui omnes ad mores componendos, & Ecclesiasticam politiam constituendam sunt vtilissimi ; ideòque secundùm illos Canones multas lites ostendimus esse decisas in Concilio Chalcedonensi. Quin & ab omnibus Collectoribus antiquis & nouis, Græcis & Latinis, pariter suscepti sunt, & ab aliquot summis Pontificibus comprobati, vt ex *can. de libellis Dist. xx.* & locis suprâ citatis in enumeratione Conciliorum confirmauimus : quibus addere licet Ioannis I I. summi Pontificis auctoritatem, in *epistola ad Cæsarium Arlatensem*, nuper edita à clarissimo Sirmondo, in qua inter Canones, quos epistolæ suæ subiicit, selectos ad examinandam causam contumeliosi Episcopi, qui depositus fuerat à Cæsario, *canones 4. & 5.* Antiochenæ Synodi retulit. Itaque, vt præcidamus, damnatur fides Synodi Antiochenæ, quia Nicænam impugnabat, non directè quidem, & apertis verbis, sed obliquè tamen, vt ex ipsa formula colligit Sozomenus *lib. 3. c. 5.* Non dissimili ratione sæpiùs accidit, vt licet Ecclesia Romana & Occidentalis quorundam Conciliorum etiam generalium fidem & symbola in illis edita susceperit ; gesta tamen reliqua & Canones omnino repudiauerit : ideòque Innocentius I. in *dicta epistola ad Clerum Constantinopolitanum*, solos Canones Nicænos se profiteretur suscipere : quamuis ante Innocentium I. Synodus Constantinop. I. Canones edidisset, sed eos Rom. Ecclesia non suscipiebat, vt ex *dicta* Innocentii *epistola* colligere licet ; & ex Gregorii Magni *lib. 6. epist. 31.* his verbis ; *Romana Ecclesia eosdem Canones (scilicet Constantinop.) vel gesta Synodi illius, hætenus non habet, nec accipit ; in hoc autem eandem Synodum accipit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Nihilominus tamen Pontifices Rom. aliquando illorum Canonum auctoritate vtuntur. Nicolaus I. doctissimus Pontifex, in *epistola octaua ad Michaëlem Imp. Orientis* in causa Photij ita censet : *Quod proinde Constantinop. Synodus Canonum suorum sexto dignoscitur perhibere capitulo, quod tamen non apud nos inuentum, sed apud vos habere perhibetur.* Aliquid simile de aliquibus Canonibus Chalcedonensis Synodi adnotat Gregorius *lib. 5. epistola 14. & lib. 7. epistola 46.* Quod & nos in sexta Synodo contigisse ostendimus supra. Ex quibus confirmatur euidentissimè circa ordinem & numerum Canonum Ecclesias Orientales & Occidentales variauisse ; quamuis in rebus fidei optimè conuenirent. Quinimò, ne longiùs abeamus, rebus ip-

Exciderant
Cæsario.

Adde *Epistolâ*
5. Concilij Ita-
liæ à Sirmondo
editam.

V. Anastasij
Bibliothecarij
Prafationem in
Collectanea e-
iusdem à Sir-
mondo nuper
edita, & adde-
que fuprafcrip-
simus *par. 1. §.*
fecunda regula.

V. Le Cardi-
nal du Perron
en fa replique
*l. 53. du Concile
de Sardique p.*
432. & 433.

Doctiffimus
Marca *lib. 3. de
Concordia Sa-
cerdoti cap. 3.*
§. 8.

Hunc Ioannē
designari exif-
timē apud Pho-
tium in *Biblio-
theca pag. 890.*
per Ioannem
gēte Cappado-
cem. *Ιωάννης ὁ
Κωνσταντινοπίλεος*
(fcilicet Epif-
copus) *ὁ ἐκ Καπ-
παδοκίας ἔλκειν τὸ
ῥέος, ἢ τὸ ἐπί-
τυμον, ex Cap-
padocia gentem
& cognomen
trahens.*

sis dictantibus, & vfu comprobante, videmus in nouiffima Gratiani
Collectione plurimos Canones, & in ipsis Decretalibus plures Pontifi-
cum Constitutiones apud plerofque Occidentis populos, præfertim
apud Gallos, non obseruari; nec tamen vllum schisma, vel diuifio
Ecclefiarum propterea contigit.

Et hæc fufficiant de antiquiffima Collectione canonum Orientalium,
& de autoritate Conciliorum, quæ in ea continentur; in quibus ex-
plicandis & confirmandis ideò diutiùs fumus immorati, quia reliqui
omnibus Collectionibus materiam fuppeditant. Superest modò, vt
compendij & breuitatis caufa celebriores tantùm ordine temporum
perfequamur; & conuenienter instituto nostro in fingulis originem,
artem, & autoritatem breuiter inueftigemus.

Occurrit fecunda, quæ Theodoretì Cyri Epifcopi nomen præfert
in Cod. M S. Regiæ bibliothecæ, nondum edita. Synagoge verò
infcribitur eadem forma, qua apud Socratem *lib. 1. cap. 5. & lib. 2.*
cap. 11. Sabini Epifcopi Ariani Collectio nominatur. Est autem com-
pofita ex iifdem Conciliorum Canonibus, quibus & fuperior; fed
præterea adiunxit Theodoretus Canones Apoftolorum 85. & Synodi
Sardicenfis *can. 21.* [quot funt omninò in Græco,] quos Canones
prætulit Antiochenis, licet tempore posteriores. Addidit præterea
quatuor ex Conftantinopolitana Synodo, qui in antiquiffima Collec-
tione deerant, Ephefinos 7. & Chalcedonenfes 27. Item ex duabus
epiftolis Bafilij *canones 27.* non plures. De origine & tempore Collec-
tionis ex ipfa infcriptione fatis conftat, quæ Theodoretì nomen præ-
fert; ideòque paulò post Concilium Chalcedonenfe videtur edita,
cui interfuit Theodoretus, & dignitati fuæ reftitutus est, vt conftat
ex *actione 1.* Concilij Chalcedonenfis, cuius Concilii canones retulit,
vt diximus, in fuam Collectionem. Turrianus tamen *lib. 1. cap. 28.*
pro Canonibus Apoftolorum, eam tribuit Conftantino cuidam Scholasti-
co. Antonius verò Auguftinus in *prafatione antiquarum Collectionum*,
& Allemanus in *Notis ad Procopij Anecdota*, Ioannem Scholasticum
Patriarcham Conftantinopolitanum autorem afferunt; qui fcilicet Eu-
tychio in exilium pulfo, à Iuftiniano fuffectus est, & vſque ad Iuftini
tempora fedem obtinuit: quibus verò rationibus ita fenserint, mox
inquiremus. Hæc de autore & tempore.

Methodum & artem, quam obseruauit, in præfatione Collectionis
fuæ declarat ipſe, ex qua neceffaria quædam notatu digniffima deliba-
ui; & quia latet adhuc in Codicibus manuſcriptis, in fine huius li-
belli ex Cod. M S. Regiæ Bibliothecæ ſubiungemus. In illa Collec-
tione canones integri non referuntur, nec vbique attenditur ordo tem-
poris & ſeries, ſeu conſequentia numerorum, vt in antiqua, de qua
ſuprà diximus, cuius tacitè in illa præfatione meminiffe videtur. Sed
ſub 50. tantùm *titulos* breuiter ius omne Canonicum comprehendit ea
ratione, vt ſimiles canones ſub vnum & eundem titulum ſimul con-
iungat; licet in variis Synodis, pro temporum & negotiorum neceſſi-
tate fuerint promulgati: nec Canones integros refert, ſed ſententiam
tantùm, quam breuiſſimo verborum compendio certis titulis adſtrin-
git & includit; quam formam, multis poſt annis Photius ſecutus

est in *Nomocanone*. Secundò, non temerè & fortuitò, sed ordine certo, tituli singuli digesti & dispositi sunt, qui est huiusmodi; vt quia iura omnia personarum causa constituta sunt, in enumeratione singularum, earumque diuisione, & differentia ius omne Canonicum exponat. Incipit quippè ab Episcopis, & occasione rapta omnes Canones ad Episcopos pertinentes refert; similiter deinde de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, Clericis, Monachis & Laicis agit; ita vt ad vnum summum genus vniuersa Collectio illa, ad personas scilicet, possit reuocari: quam methodum & figuram Græci deinde & Latini aliquot Collectores secuti sunt.

Non omittendum quod in dicta præfatione Theodoretus ait *Canones Basilij in Collectionibus antiquioribus non fuisse adiunctos*. Vnde colligitur, quo tempore primùm Basilij scripta quædam vim & auctoritatem Canonum obtinuerunt. Itémque notandum solius Basilij Canones relatos, nec ex pluribus, sed ex duabus tantùm *epistolis canones 27.* quorum à posterioribus non modò numerus est auctus, sed etiam ex aliorum Patrum scriptis plures additi Canones, vt infra dicemus.

Obseruandum postremò in illis 50. *titulis* desinere Collectionem Theodoretis; cui, quod nemo adhuc præstiterat, primùm à Ioanne Scholastico Patriarcha Constantinopolitano, ex legibus similibus statutis Canonum, singulis titulis excerpta quædam adiuncta; nempè quia sciebat confirmatos & comprobatos Canones à legibus, non tantùm generali aliqua lege, vt *Novella 131. cap. 2.* sed etiam specialibus, & in singulis articulis. Itaque Collectionum, quæ postea Nomocanones appellari cœperunt, originem ad Ioannem Scholasticum referre debemus. Floruit autem sub Iustiniano, vt diximus, postremus ex quatuor Patriarchis, qui sub eodem Imp. fuerunt, & sub Tiberio mortuus est, ortus ex Sirimi pago Anthiochiæ, antè ex numero Aduocatorum; vnde & Scholastici nomen retinuit. Procopius in *anecdosis*, Euarigius *lib. 4. cap. 37.* sub finem, & *lib. 5. cap. 16.* Nicephorus in *Chronologia*, & varij *Catalogi* Patriarcharum Constantinop. Quædam etiam illius scripta à se lecta commemorat Photius in *Bibliotheca*. Ioannes autem ille Scholasticus multis annis post Theodoretum autorem Collectionis canonum, adiecit excerpta ex legibus, vt ex duabus diuersis præfationibus colligitur, quæ initio Collectionis habentur in Codicibus manuscriptis; in quibus sub finem expressè notatur Ioannem Scholasticum leges subiunxisse: & initio Collectionis autor canonum inscribitur Theodoretus Episc. Cyri. Quod & illo argumento euidentissimè probatur, autorem Collectionis decem tantùm Synodos à temporibus Apostolorum, ad sua vsque tempora celebratas referre, quas enumerat; nec tamen vllam mentionem facit V. Synodi, quæ sub Iustiniano est habita; quod profectò Ioannes Scholasticus non fecisset, qui scripsit post mortem Iustiniani. Et hæc de methodo. De auctoritate autem præter nomen & famam autoris nihil occurrit dicendum: priuata enim opera videtur collecta, vt aliæ plures, nec vlla auctoritate publica confirmata, vel in iudiciis vsu recepta; quæ omnia tamen in antiquissima Collectione obtinuerunt, vt diximus. Meminisse vetò videtur istius collectionis Balsamo ad *can. 2.* Synodi VI.

De Auctoritate legum publicarum, etiam in Ecclesia vide Hincmarum *Tractatu de diuortio Lotharij & Thetberge,* pag. 595. & seq. *tom. 1. eius operum* editionis Parisiensis.

loco singulari in Latina versione Gentiani Herueti, vbi se multos similes libros vidisse testatur,

Procedente tempore, cum sæpius de autoritate Canonum & Conciliorum graues contentiones inciderent, tandem finis impositus est in Synodo VI. *can. 2.* in quo non tantum, qui vulgò dicuntur Canones Apostolorum, & Sardicenses, sed etiam Africani, Carthagenenses, & quarundam aliarum Synodorum admittuntur. Præterea plures ex Basilio, & ex antiquioribus & recentioribus Basilio desumpti sunt, qui enumerantur in *dicto can. 2.* ad quem referri debet *can. 1.* septimæ Synodi. Nec tamen in illis Canonibus, & Synodis vllius Pontificis Rom. vel alterius ex Occidentalibus, fit mentio; quod mirum videri debet, eaque de re conqueritur Nicolaus I. *can. ult. Dist. xvi. & can. 2. Dist. xx.*

Iuxta VI. & VII. Synodi canones citatos Collectiones omnes Græcorum recentiorum compositæ sunt ex iisdem Conciliorum & Patrum canonibus tantum, de quibus in illis canonibus specialis fit mentio. Inter omnes verò celebratur Photij Constantinop. Patriarchæ Nomocanon. Ex Photij nomine facilè tempus deprehenditur, quo editus est; vixit enim Hadriano II. & Nicolao I. Pontific. Romanis, cum quibus ei graves discordiæ intercesserunt; Basilio Macedone in Oriente, & Carolo Caluo in Occidente imperantibus.

Methodum in ea seruauit Collectione, quam & Theodoretus, & ad personas ius omne Canonicum retulit: totum autem opus in *quatuordecim titulos* partitus est, & singulos titulos iterum in capita subdividit; itémque vna & eadem opera Canonibus Ecclesiasticis excerpta ex legibus subiicit: peritissimus enim fuit Iuris ciuilis, & ex Senatore Patriarcha factus.

Auroritas verò Nomocanonis Photij tanta fuit, vt Græcorum Canonum Collectionibus præponatur, quia totius Canonicæ scientiæ elementa continet, vt Balsamo notat in *prefatione Nomocanonis*; qui quidem Balsamo iussu Emanuelis Comneni Imp. & Michaëlis Anchiali Constant. Patriarchæ Nomocanonem Photij diligenter interpretatus, ad vsum sui temporis accommodauit; quia, vt ait, plurimæ leges, quæ tempore Photij obrinebant, longo illo temporis interuallo fuerant abrogatæ, & aliæ nouæ promulgatæ; sicut & in Iure canonico aliqua similiter postremis Synodis innouata. Præterea si quid in illo Nomocanone deerat emendare & repurgare iussus est Balsamo imperatoriâ & Patriarchicâ autoritate.

Plures aliæ Græcorum Collectiones extant post Photium, veluti Constantini Harmenopuli, quæ initio iuris Orientalis extat; qui satis explicat initio Collectionis suæ, quam artem adhibuerit; ideóque præterea quæ de eo dici possunt. Extant & aliæ non adhuc editæ, Theodori Abbatis & Philosophi, Simeonis Logothetæ, Aristeni, Arsenij, Matthæi Blastaris; sed istas attingisse sufficiat.

Diuersam methodum secuti sunt quidam recentiores Græci. Collectionibus enim, quæ præcesserant, contenti explicauerunt illas, & Interpretum munere functi sunt; quæ forma tractandi est vtilissima. Canonibus enim receptis in dicta Synodo VII. *can. 2.* inseruientes, quæ
difficilia


difficilia occurrunt exposuerunt, & si quid vsu innouatum, vel receptum fuerit, adnotant; relatis aliquando Patriarcharum, præcipuè Constantinop. Synodalibus decretis, & legibus etiam similibus adiunctis, vt Zonaras, & Balsamo, quorum commentaria extant in eum modum composita: à quibus tamen cauere debemus; quia fuerunt schismatici, ideòque Romanæ Ecclesiæ, & reliquis Occidentalibus infensi, in quarum odium non tantùm multa detorquent, & prauè interpretantur; sed etiam falsa quædam proferunt, vt in donatione Constantini, Synodi sextæ aliquot canonibus & locis; & octauæ in causa Photij, licet deprehendere.

Concludamus tandem ex superioribus in canonica scientia pertractanda triplici præcipuè methodo vsos fuisse Græcos. Prima simplicissima est & antiquissima: disponit enim tantùm Conciliorum Canones ordine temporum, & serie numerorum, cuius exemplum in antiquissima Collectione ostendimus. Secunda plus habet laboris & industriæ, quia non verba Canonum integra, sed sententiam in pauca colligit, & sub certis quibusdam titulis disponit; ita vt habita ratione materiæ, ius omne Canonicum comprehendatur, & in artem paulatim redigatur, vt in Theodoretis, Photij, & Harmenopuli Collectionibus obseruatur. Præterea huiusmodi breuiationibus Canonum ex legibus excerpta quædam cœperunt subiici; ita vt in vnâ quasi consonantiam ius Canonicum & Ciuile coniungatur; quod in Theodoretis & Photij collectionibus notauimus. Tertia & postrema species eorum est, qui Canonibus integris, & dispositis eo ordine, de quo in *dicto Canone 2. Synodi VI.* actum est, perpetuas interpretationes & commentaria subiecerunt, vt Zonaras, & post eum Balsamo, quorum scripta in omnium manibus habentur. Sunt & alij nondum editi, sed intra compendij modum consistendum est.

P A R S T E R T I A.

De Collectionibus Occidentalium antiquis & nouis.

SVPERIORI capite rationes exposuimus, cur Collectiones Canonum à Græcis editas separauerimus ab illis, quæ in Occidente, & à Latinis; itémque cur à Græcis principium fecerimus, enumeratis & expensis insignioribus Orientalium Collectionibus: sequitur vt ad nostras, id est, Latinas, veniamus, in quibus eadem via & methodo procedemus; nec omnes, sed celebriores tantùm recensebimus, & in singulis ex proposito nostro tria inuestigabimus, originem, methodum, & auctoritatem. Scopus autem, & finis totius tractationis hic erit, vt referemus fontes, vnde Gratianus hausit suam, quam vocat, Concordantiam Canonum, vulgus Decretum Gratiani; itémque ex quot & quibus Decretalium Collectionibus Gregorius IX compilauerit Decretales, quæ in scholis auctoritate publica prælegi solent; prius tamen quædam præmittenda sunt. Quamuis initio capitis superioris dixerimus fidem ab Oriente ad nos venisse, ibique celeberrima Concilia primùm habita & Canones editos, quibus constituitur Ecclesiæ



disciplina : tamen tanta fuit Sedis Apostolicæ autoritas & priuilegium, vt & Conciliorum & Canonum confirmandorum ius, & autoritatem sibi vindicauerit, *can. 1. 2. & sequentibus, dist. xvii.* cui iungi debet *can. 1. dist. xix.* vnde videtur deducta Decretalis Paschalis II. in *capitulo 4. extra. de electionibus;* quod tamen Gallia nostra nunquam probauit. Præterea per manus Rom. Pontificis ad reliquos Occidentis Episcopos Concilia & Canones vt plurimum transmittentur. Absoluto enim Concilio œcumenico aliquo, in Oriente verbi gratia, ad eum mittebantur vniuersa, quæ gesta erant, à Legatis, qui eius vices gerebant, vel etiam ab ipsis Patribus Concilij, vt constat ex *Synodica Concilij Constantinop. I. ad Damasum, Ephesini ad Calestinum, & Chalcedonensis ad Leonem I.* quibus addere licet *epistolam à Patribus Nicæni Concilij ad Syluestrum Pontificem* missam, quæ nuper editionibus canonum accessit, etiam in editione Romana. Ex quibus locis, maximè ex *dicta epistola Concilij Nicæni ad Syluestrum* scripta (cuius fides valdè sublesta est) colligimus in eam rem Occidentis Concilia conuocari solita à Romano Pontifice, maximè ex *epistola Synodica Concilij Constantinop. I.* cuius inscriptio dirigitur non tantum ad *Damasum Rom. Pontificem*, sed etiam ad *Ambrosium Mediolanensem, Ascolum Theffalonicensem*, [de quo in *epist. Concilij Italiæ à Sirmondo edita,*] & *reliquos Episcopos in vrbe Roma conuocatos*: optima ratione, nempe vt communi consensu reciperetur & probaretur quod erat pariter ab omnibus seruandum. Soluta verò Synodo singuli Episcopi Græcorum canonum versionem ad plebes suas referebant. Huiusmodi fuisse videtur prisca translatio Conciliorum, quæ etiam hodie extat, & frequentissima fuit in omnibus Occidentis Ecclesiis; ita vt communis & vulgaris interpretationis nomine meritò censeri posse videatur. Expressa verò fuit ad instar antiquissimæ Collectionis Græcorum, à qua similiter incepimus cap. superiori : in vtraque enim iidem omnino Canones continentur, & iidem desiderantur. Sicut enim in Græca, ita in Latina Canones, qui vulgò dicuntur Apostolorum desunt, & postremi Canones, Constantinop. & Chalcedonenses omnes. Confirmatur etiam ex eo quod in antiquis Conciliis Occidentis ex illa interpretatione Canones allegentur; & Ferrandus Carthaginensis Latinorum Collectorum, qui extant, antiquissimus, perpetuò illam sequitur; & Dionysius Exiguus illius meminit in præfatione interpretationis nouæ Canonum, quam fecit, *offensus*, vt ait, *prisca translationis confusione*; qua tamen Episcopi Galliæ & plerique alij Occidentis non sunt offensi. eam enim diuissimè retinuerunt; & Hispani quidem nullam aliam adhibent in suis Conciliis, sicut & nostri Episcopi, vsque ad Carolum Magnum; post cuius ætatem veteri & noua Dionysij Exigui, de qua dicemus, promiscuè sunt vsi. Ex quibus cognoscimus quantæ fuerit autoritatis apud Occidentis Ecclesias; in Gallicana præsertim religiosè aded seruata est, vt qui postea addebantur Canones, nostris Episcopis haberentur suspecti; quod in celebri causa Prætextati Episcopi Rothomagensis sibi contigisse Gregorius Turonensis refert *lib. 5. cap. 18.* Ipse verò (Rex Chilpericus) ad metatum discessit, transmittens librum Canonum in quo erat quaternio nouus adnexus habens

Canones quasi Apostolicos. 27
contentio de Canonum numero & autoritate, ad Orientis Sacerdotes scribebant, hoc est ad Ecclesiarum Antiochenæ, Alexandriæ, & Constantinop. Episcopos; in quarum scriniis authentica & verissima exemplaria diligenter custodiebantur; cuius rei insigne habemus exemplum in Concilio VII. Carthag. & apud Gregorium in *Registrolib. 7. epistola 47.*

Et hæc de origine & autoritate antiquissimæ interpretationis Canonum, quæ in omnibus similis est Collectioni antiquissimæ Græcorum. De arte & methodo nihil opus fuit dicere: Canones enim tantum integri referuntur ordine temporum seruato, præterquam in Nicæno.

Ex illa interpretatione antiquissima, ut diximus, Ferrandus Ecclesia Carthag. Diaconus Breuiationem Canonum confecit; qua hodie nulla reperitur antiquior apud Latinos. Ferrandus enim floruit sub Iustino & Iustiniano, ut ex Victoris Tununensis Chronico colligitur; cuius ut iam vita functi meminit Facundus Hermianensis Episcopus Africanus *lib. 4. cap. 3.* ubi & eius sit perhonorifica mentio. Illa autem breuiatio Canonum Ferrandi hanc methodum retinet, pluribus Canonibus ex diuersis Conciliis collatis in vnum, quibus eadem de re agitur, breuem titulam & summam proponit: & quod de Græcis diximus, ius omne Canonicum, paucis exceptis ad personas reuocat; quas distinguit eodem ferè modo in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, &c. Præterea non tantum ex antiqua interpretatione desumpta est illa breuiatio, sed etiam ex variis Africæ conciliis. quorum pleraque alibi non reperiuntur; quod notandum maximè. Vnde Cresconius, etiam Africanus, doctis & peritis Canonum tantum scripsisse ait, Ferrandum. *Indoctorum verò, ait, quorum est maxima multitudo, in eodem opere studium probatur, ut ita dixerim, sequestrasse, dum eos ad inquisitionem earum rerum premisit, que nec ab omnibus reperiuntur, nec reperta sine eorum fastidio perleguntur.* Epistolas verò & constitutiones Rom. Pontificum nullas retulit, præter vnicam Siricij, quam non allegat simpliciter, sed cum hac additione & notâ *ex epistola Siricij in Concilio Cellensi, & aliquando absolutè ex Concilio Cellensi.* Fortè ad consultationem Episcoporum Africæ in Cellensi Concilio conuocatorum Siricij responderat; vel ad illud Concilium per Legatos Rom. Pontificum, qui Concilio aderant, epistola missa fuerat; quod nouum non erat in Africa. In reliquis, ut diximus, antiquissimam versionem sequitur. Itaque nihil ex Ephesino & Chalcedonensi Concilio retulit; quia in antiquissimis Collectionibus Græcis & Latinis deerant: Sardicenis præterea Synodi Canones adhibuit; illos præsertim, de quibus recipiendis tandiu certatum fuit in Africa inter Zozimum, Bonifacium, & Celestinum Pontifices Romanos, & Aurelium Carthaginensem, & reliquos Africanos: nec idèd tamen omitti fuerunt à Ferrando Antiocheni Canones, qui cum Sardicenis manifestè pugnant, ut superiùs diximus; & de quibus in Africa certatum fuit tanta contentione.

Autoritas huius collectionis non leuis fuisse videtur, maximè in

DECRETALIO

Africa, si officium, quo fungebatur Ferrandus, attendamus; Diaconi scilicet sub reuerendiss. Ecclesiæ Carthag. Episcopo: quod olim in Ecclesia erat huiusmodi, vt eorum opera vterentur Episcopi in responsis & epistolis, quæ ad consultationes Episcoporum scribi solebant, siue ad mores pertinerent, vt ex dicto loco Facundi Hermianensis colligitur, & ex epistolis & scriptis Ferrandi, quæ supersunt. Eandemque Collectionem Cresconius in *prefatione* Breuiarij sui laudat. Quin tamen aliqui nœui in illa Ferrandi breuiatione supersint, nemo inficiabitur, qui attentius inspexerit Ferrandum *numeris* 103. 105. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 185. 188. 216. & 221. Sed de his alius erit dicendi locus in editione noua Ferrandi.

Tertia Collectio est Dionysij Exigui, quam, vt ipse ait in *epistola ad Stephanum Episc. Salonitanum, confusione prisca translationis incitatus digessit iterum, & de Græco transtulit*. Floruit autem Iustiniani temporibus, vt colligitur ex *eiusdem Epist. Paschali ad Petronium Episc.* edita in *appendice operis de Doctrina temporum*, & ex *alia eiusdem scripta ad Iulianum Presbyterum tituli sanctæ Anastasiæ*, quam initio Collectionis Decretalium Pont. Rom. præmiserat; eamque à doctiss. Sirmondo erutam ex M S. Codic. in fine huius libelli subiiciemus; & ex Cassiodori *lib. diuinarum lectionum cap. 23*. Constat autem Dionysij Collectio ex totidem Canonibus, quot in antiquissima Græcorum contineri diximus, id est, vsque ad Constantinop. I. ex quo tres tantum Canones refert, sicut in Græca autoritate, vt loquitur Dionysius in *dicta epistola*, & deinde subiicit, *Tum sancti Chalcedonensis Concily decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem esse declaramus*. Nec tamen, quod animaduersione dignum, mentionem vllam facit Concilij Ephesini œcumenici, licet ante Concilium Chalcedonense celebratum fuerit. Vnde rectè apud Iuonem in *can. de libellis Dist. xx*. Ephesinum Concilium omittitur; quod in editione Rom. Gratiani malè suppletur. Ex eadem causa grauior occurrit error in Moguntina & Parisiensi editione Codicis Eccl. Rom. in quibus pro Concilio œcumenico suppositum est Concilium Alexandrinum particulare ex Ægypti diœcesi tantum. Erroris causa fuit, quia vtrumque Concilium contra Nestorium habitum est, & vtrique Cyrillus Alexandrinus præfuit, Alexandrino quidem Concilio, suo & proprio iure, id est Patriarchico; Ephesino autem nomine Celestini summi Pontif. cuius Legatus fuit in dicto Concilio. Subiicit postremo Dionysius statuta Sardicensis Concilij atque Africani, quæ Latinè edita fuisse ait; quo refellitur error illorum, qui versâ de Græcis existimant, ita vt Dionysij Codex, partim ex Græcorum, partim ex Occidentalium Conciliis compositus sit.

Methodum verò & artem eandem seruauit in Canonibus Orientalibus, quam in antiquissima Græcorum Collectione reperit, scilicet seriem & consequentiam numerorum; deinde post Sardicense plura Concilia Africæ diuersis habita temporibus, sub vno tamen & eodem Episcopo Carthaginensi Aurelio refert, sicut in antiquis Codicibus inuenerat: de quorum autoritate & Collectione, an autoritate publica edita sit, vel confirmata; an verò priuati alicuius Collectoris operâ, fufius aliquando disputabimus.

Ne quid verò videretur Dionysius eorum omittere, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, post Conciliorum canones promulgatos, & eo, quo exposuimus, ordine dispositos, ad Pontif. Romanorum Constitutiones curam extendit, vt ipse profitetur in epistola M S. suprâ citata ad Iulianum Presbyterum t. t.uli sanctæ Anastasie, in qua istius secundæ Collectionis rationem & consilium exponit his verbis; *Prætorum Sedis Apostolicæ Prasulum constituta, qua valui, cura diligentique collegi, & in quendam redigens ordinem, titulis distinxî compositis; ita dumtaxat vt singulorum Pontif. quotquot à me præcepta reperta sunt, sub vna serie numerorum terminarem, omnesque titulos huic præfationi subnecterem eo modo, quo dudum de Græco sermone Patrum Canones transferens ordinarem.* Quæ verba ideò descripsi, quia breuius & dilucidius auctoris consilium explicari non potuit. Nec omittendum Dionysium hunc laborem suscepisse primum: antiquiores enim Collectores Decretales Pontificum, vt diximus, omiserant, Conciliorum canonibus contenti. Incepit autem à Siricio Pontifice, & [non in Hormisdæ, sed in Gelasio desinit, vel potius in Anastasio II. qui successit Gelasio, si qua fides indici Pontificum:] reliquis Pontificibus, qui præcesserunt Siricium omissis. Vnde quod de Syluestri decretalibus in dicto can. de libellis, dicitur, valdè suspectum est, vt Hincmarus ostendit epistola 7. cap. 22. 23. & sequentibus [pag. 145. 146. 147. & seq.] & in opere 55. Capitulorum, [Capitulo 24. pag. 118. & cap. 43. pag. 145. 146. & 4. seqq. editionis in 4.] Siricium I. nominat, non Syluestrum, sicut & Cresconius in indice nullas Syluestri epistolas allegat. [Hormisdæ verò,] Gregorij iunioris, [& reliquorum,] epistolæ additæ sunt postea. Multis enim annis post Dionysium vixerunt.

[Notandum vero codicem hunc Canonum & regulam Pastoralem Gregorij Episcopis in ipsa ordinatione tradi in manus à Metropolitana in more positum. Hincmarus præfatione in opus 55. Capitulorum pag. 4. & 5. vbi de Consecratione Hincmari Laudunensis.]

Postremò Collectionis Dionysij summa fuit autoritas; adeo vt Casiodorus eius æqualis, eique superstes in dicto lib. de diuinis lectionibus, dicat vsu celeberrimo Ecclesiam Romanam eam fuisse complexam; cuius etiam vt passim receptæ indicem fecit Cresconius: & absolutè corpus Canonum appellari meruit in can. 1. Dist. XIX. eoque titulo citatur à posterioribus Collectoribus, Burchardo, Iuone, Gratiano, & in omnibus Decretalium Collectionibus, quod probauerunt Correctores Romani in præfatione Gratiani. In Galliis verò notior esse cœpit tempore Caroli Magni; [quamuis non ante fuerit omninò ignota, Sirmondus in præfatione Conciliorum. Cui Carolo] ab Hadriano Pontifice oblata fuit, vt constat ex versibus politicis ab Hadriano præfixis, quos [iam dudum quidem Laudauerat P. Pithæus præfatione in Ferrandum;] nuper verò edidit in 2. tomo Conciliorum Gallicæ doctissimus Sirmondus; ex quo tempore frequentissimus fuit vsus illius Collectionis in Conciliis & Scriptoribus Gallicanis.

[Notandum, quod iam monuimus, Cresconium circa eadem ferè tempora accuratam methodum totius Collectionis Dionysij contexuisse,

V. infra §.

Martinum.

Addendus Antonius Augustinus in libello posthumo de Collectoribus Canonum cap. 21. Falsa tamen est inscriptio cap. 2. de præb. vbi & deceptus est Cuiacius.

imitatum Fulgentium Ferrandum, quem & laudat, & sequitur autorem, sicut ipse profitetur in *sua prefatione*. Opus verò suum ita inscripsit: *hic habetur Concordia (anonum Conciliorum infra scriptorum, & Præsulum Rom. id est Canonum Apostolorum, & deinde refert Concilia ex quibus canones sumpsit eodem planè ordine, quo habentur integri apud eundem Dionysium; & postea Præsulum Rom. nomina subiicit Siricii, Innocentij I. Zozimi, Celestini, Leonis & Gelasij.*

Diximus Cresconium imitatum fuisse Ferrandum in Breuiatione sua Canonum. Nam paulò ante Cresconium aliam Breuiationem Canonum confecerat Ferrandus; ad quam conficiendam vsus fuerat antiquissima versione Canonum Orientalium, quæ ante Dionysii Exigui versionem tam in Ecclesiis Occidentalibus, quàm Africanis recepta fuerat, & adhuc post Dionysium remansit. Addidit etiam Ferrandus ex pluribus Concil. Africanis excerpta quædam, quorum multa iniuriâ temporum exciderunt.]

Dionysii & eius indici à Cresconio confecto rectè subiiciemus ordine temporum seruato, Martini Bracarenfis Episcopi, quæ vocat Capitula Orientalium Canonum; eos Canones intelligens tantum, qui in antiquissima Collectione Græcorum, de qua diximus, continentur. [Nihil enim nequidem ex Concilio Constantinop. I. desumpsit, nec ex reliquorum Conciliorum Canonibus & summorum Pontificum decretis, quæ Dionysius exiguus suæ Collectioni addiderat. Quæ Collectio ideò in Hispaniam non peruenisse videtur. Martinus enim post Dionysium vixit & scripsit. Scripsit enim circa annum Christi 570. Græcus origine, & ex Abbate Damienfi factus Metropolitanus Bracarenfis. Diuersa autem methodo vsus est à reliquis: non enim integra verba Canonum, sed vel breuiata, vel interpolata refert; non adscripto vnde, nec ex quo Concilio desumpta sunt. In duas verò partes opus distinguit: nam quæ ad Episcopos & vniuersum Clerum pertinent in prima parte simul; in secunda verò quæ ad Laicos conscripsit. Quin & ex Conciliis Hispaniæ adiecit quædam, etiam contra mentem veterum Canonum. Autoritatis verò non leuis fuisse videtur: nam totius Galleciæ primus fuit Metropolitanus, & in Concilio Lucensi comprobata fuisse videtur illa breuiatio, ad quod ab autore missa fuerat. [De Martino Dumienfi videndus Fortunatus scribens ad eum *lib. 5. epist. 1.* & ibi notata ex Isidoro & Gregorio Turonensi, quibus æqualis fuit. *Legenda & quæ de eo refert Antonius Augustinus initio 2. partis Epitomes Iuris Canonici, & maxime lib. 1. dialog. de Emendatione Graciani Dialogis 10. 11. & 12.* quibus addi possunt Sirmondi fragmenta & aliquot eiusdem Fortunati carmina] Gratianus autem plurima ex eo retulit in decreto, sub nomine Martini Papæ in Concilio, quasi fuerit Pontifex Romanus: grauiorem etiam errorem in eo admisit, quod sæpe integros Canones inserat, & deinde siue imperitiâ, siue incogitantiâ eorundem Canonum tanquam diuersorum, excerpta ex Martino referat, quod adnotauerunt Antonius Augustinus Iuris Canonici peritissimus, & Correctores Romani.

Martinum Bracarensem excipit Isidorus, vel quisquis est author

Collectionis Canonum, quæ nomen illius præfert, sed falsò. Quid illa contineatur, & qua arte seu methodo vsus fuerit author, in præfatione & in indice quem subiecit, apertè satis declarat. In illa verò Collectione tria sunt obseruanda.

Nomine eiusdem Isidori citat illam Collectionem *tomo 2. vlt. edit. pag. 793. & seq.*

1. Eius autorem antiquissimam interpretationem Canonum Orientalium nobis conseruauisse; quæ in pluribus locis difficilibus vsui esse potest.

2. Concilia quædam Gallix & Hispanix, quæ in reliquis Collectionibus nou habebantur, inseruisse.

[3. Eundem primùm in Occidentem inuexisse veterum Pontificum Romanorum Epistolas quasdam, ignotas antea, & fidei suspectæ; à Clemente nempe 1. vsque ad Syricium sub Theodosio Magno. Quam nouitatem impugnauit acerrimè Canonum & Conciliorum peritissimus Hincmarus Remensis Archiepiscopus, quoties nouæ illæ Epistolæ aduersus antiquam Ecclesiæ disciplinam, vel Episcoporum aut Metropolitanorum autoritatem ab illis allegabantur, qui Ecclesiæ Romanæ immensam & infinitam potestatem primùm in Gallia astruere moliebantur. De eâ verò iuuabit quædam loca annotare ex eodem Hincmaro 1. quidem in opere 50. *Capitulorum cap. 24. pag. 118. ait: Plena est terra ista de libre Collectarum Epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculphus Moguntinus Episcopus in huiusmodi, sicut & in Capitulis Regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit.* Postea de huiusmodi Epistolarum autoritate loquens, sententiam papæ Gelasii, quam ipse Isidorus suæ præfationi indiderat, proponit; cuius Gelasii verba extant in *canone 3. §. item Decretales Dist. xiiii. Item Decretales Epistolas, quas Beatissimi Papa diuersis temporibus ab vrbe Roma pro diuersorum Patrum Consultatione dederant, venerabiliter suscipiendas. Quæ Hincmarus in capitulo 25. Ita exponit: Animaduertenda igitur est discretio ex verbis B. Gelasij inter Synodalia Concilia, & Apostolicorum virorum Epistolas, quas ante Concilia celebrata diuersis temporibus pro diuersorum Patrum consultatione dederunt (malè ferè semper apud Hincmarum consultatione pro consultatione.) Et post pauca: quantum enim differt inter illa, scilicet Concilia, qua custodienda & recipienda decreuit, & inconuulsa firmaque deinceps Patres Catholici manere voluerunt, & illas Epistolas, quæ diuersis temporibus pro diuersorum consultatione date fuerunt, nemo in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus ignorat. Quod argumentum plenissime exequitur cap. 43. cuius hæc est sententia: *Canones Conciliorum primò inuiolatos debere permanere, ut pote communi consensu & consuetudine Ecclesiarum receptos. 2. loco Decretalia constituta S. Pontificum, quorum decreta Ecclesia Catholica & Patres ac Prædecessores nostri seruanda tenuerunt & venerati sunt. Quibus verbis intelligit illa tantum decreta Pontificum, quæ in Codice Canonum Ecclesiæ contineri diximus; eorum scilicet Pontificum, qui post Nicænum Concilium à Syricio vsque ad Gelasium in dicto Codice inserta fuisse diximus. Antiquiorum uerò Pontificum Epistolas, de quibus loquuti sumus, nempe à Clemente 1. vsque ad Syricium exclusiue esse quidem venerandas; sed in illis iudicio & delectu opus esse; quædam enim ex illis inimicè pugnare, & ~~etiam~~ aduersari sape canoni-**

bus postea receptis Quibus casibus recte arbitratur *preferendos Canones ab omnibus Ecclesiis receptos. & probatos, nec prae-textu huiusmodi Epistoliarum ab Ecclesiastico usu illa, que generaliter tenebantur, esse remouenda.* Idem Hincmarus *Epistola 7. cap. 22. 23. & 24. acta & gesta Synodi Romanae sub Syluestro spuria & supposita notat, vt & tom. 2. vlt. editionis pag. 795. quæ tamen dictum Isidorum Collegisse constat vnà cum suspectis Epistolis Pontificum à D. Clemente vsque ad Siricium]*

Frequentissima autem fuit postremis temporibus; & prodiisse videtur ætate Caroli Magni, vt obseruatit primus doctissimus Pithæus in *Glossario Capitularium in dictione Riculphus*; quod & confirmatur *prefatione & sine lib. 5. Capitularium.* [Vbi Benedictus Leuita profiteretur ipse se in Capitularibus ex ea collectione multa inseruisse; quod etiam testatur incertus Scriptor de vita Benedicti, quem initio Capitularium Pithæus præmisit.] Ex quo factum est, vt in Conciliis Gallia, quæ Caroli temporibus, & postea in Gallia vel alibi sunt habita, itémque apud Scriptores illorum temporum sæpius ex illo Codice plurima desumantur: quorum exemplum Burchardus, Iuo, Gratianus, & recentiores omnes passim secuti sunt quamuis, vt monuimus, multa commentitia sint, & magno cum iudicio legenda. [Sed de Isidoro Antonius Augustinus *libro posthumo de Collectoribus Can. cap. 16. 17. & 18. & alij plus satis. Addendum tamen ex eiusdem libelli cap. 22. & s. q. & ex Dialogo 14. lib. posterioris de emendatione Gratiani, Antonium Augustinum meritò bonâ fide agnoscere ante Caroli Magni tempora nullos Scriptores supposititiarum illarum Epistolarum meminisse. Videndæ & eiusdem Augustini notæ in capitula Hadriani Papæ ad Episcopos missa.]*

Non immeritò inter Collectiones Canonum, Regum nostrorum Capitularia recensebimus; quia in illis multa referuntur ex antiquis Conciliis in Oriente & in Occidente habitis: potissimum verò ex Conciliis Gallicanis, quibus tunc temporis Germania & Italia vniuersa continebatur. Quin etiam adhibebantur in Concilium Episcopi vnà cum Regni Proceribus in Conuentibus publicis, qui à Regibus nostris indicebantur, in quibus Confirmabantur; res ad Ecclesiasticam politiam spectantes ordinabantur, & ad omnium vtilitatem capitula, seu leges promulgabantur omnium Ordinum consensu. Quare Collectores recentiores inde multa deriuauerunt; aliquando suppresso, vel supposito nomine. Tantæ verò fuerunt autoritatis, non solum in Gallia, sed etiam in Italia, vt à summis Pontificibus probarentur & obseruarentur, *can. de capitulis Dist. x.* Plura de Capitularium autoritate & methodo, quæ est confusissima, doctissimus Pithæus accuratissimè initio Capitularium in vnum congeffit; quibus addere licet quæ in postrema editione Capitularium Caroli Calui doctissimus Sirmondus adiecit: integriora enim longè sunt Capitularia Caroli Calui.

Capitularibus Regum nostrorum varias Conciliorum Gallia Collectiones licet adiungere. Gallicani enim Canones & eorum autoritas non tantum in Gallia, sed etiam in Germania, & in Italia, primis Regum nostrorum temporibus obtinuerunt, quorum Collectiones antiquissimæ fuerunt, ad quas pertinet *can. Prima adnotatio Dist. xvi.* qui alieno loco

loco collocatur in Collectione, quæ vulgò Isidori dicitur. Nec tamen constat, an publica autoritate Collectio aliqua apud omnes Ecclesias Galliæ recepta fuerit.

Inter postremos Collectores, qui nunc extant, [(multi enim alij Collectores in Manuscriptis Codicibus reperiuntur, sicut Correctores Romani in *Prefatione* Gratiani docuerunt, Anselmus, Deus dedit, Polycarpus & alij)] Burchardum Vormaticensem, & Iuonem Carnotensem recensebimus: quorum Collectiones ex suspectis illis primorum Pontif. Rom. epistolis, de quibus diximus, plurimum auctæ sunt & amplificatæ. Quin etiam accesserunt plurima ex dictis Patrum, vt loquuntur, præsertim Augustini, Hieronymi, Gregorij & Isidori: quod ex omnibus Collectoribus primi videntur tentasse Burchardus & Iuo, exemplo petito à Gallicanis Conciliis & Scriptoribus Ecclesiasticis, in quibus post Conciliorum Canones in libris iudicandis scripta Patrum tertium locum obtinent, vt constat ex *dict. cas. de libellis, Dist. xx.* qui ad Episcopos Galliæ pertinet: sicut & in Iure Ciuili prudentum opiniones & sententiæ eam autoritatem tenent, ut iudicibus ab iis recedete [facile] non liceat §. *penult. Institutionibus de iure naturali, gentium, & civili.* Postremò in Iuonis Collectione edita ante Iuris ciuilis publicationem in Italia Lotharij II. iussu, ex Pandectis, Codice & Nouellis excerpta plurima desumuntur; ita vt quod in Oriente sub Iustiniano Ioannes Patriarcha tentauit [primus], vt diximus, in Occidente Iuo Carnotensis Episcopus aggressus fuerit, nempè vt Ius Ciuile cum Canonico coniungeretur. Ab his initiis Iure Ciuili postea in Italia promulgato, qui Iuri Canonico dederunt operam, statim adiecerunt animum ad ius illud nouissimè promulgatum; adeò vt Bernardus, qui circa illa tempora vixit, asperrimè nimium illud studium in Rom. Curia increpet *primo de consideratione ad Eugenium, cap. 30. Denique quando oramus, quando dosemus populos, quando edificamus Ecclesiam, quando meditamur in lege, & quidem quotidie, perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini.*

Sub illa tempora Gratianus vixit, scilicet circa annum Christi 1152, qui ex omnibus illis antiquorum Collectionibus, quas hoc tractatu enu-merauimus; & ex aliis, quæ non extant, Corpus Decretorum, vel, ut ipse inscripsisse videtur, Concordiam discordantium Canonum compilauit, nec vllas Pontificum post Innocentium II. Constitutiones inseruit. Methodum & ordinem ipse exposuit, qui tamen ab omnibus non probatur. Autoritas verò Gratiani maxima fuisse videtur: nam spretis omnibus, elegerunt illum Interpretes Iuris Canonici, quem exponerent; ita vt ante Innocentium III. & postea Corpus canonum & Corpus decretorum appellaretur, vt ex *epistola* Innocentij III. *ad Compostellanum Episcopum* colligitur, quæ pertinet ad Gratiani decretum, non autem ad Dionysium Exiguum, [ut malè Iustellus in *prefatione* Codicis Ecclesiæ vniuersæ.]

Postremò de Gratiani Collectionis arte & autoritate exactissimum & verissimum iudicium Antonij Augustini ascribemus, ex *epistola* quam Canonibus Pœnitentialibus præfixit. *Est etiam delectus habendus*

& ratio autoritatis constituentium ; in quo video multos iuris Pontificij studiosos vehementer decipi, qui Gratiani Collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant : cum tamen Gregorius IX. Pontificia autoritate usus, omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis statuerit ; Gratianus unius Magistri & Monachi personam gerens ea, quæ refert non maiori pollere potuit efficere autoritate, quàm antea fuerint. Itaque si qua sunt ab eodem relata ex Pontificiis epistolis, aut ex Conciliis generalibus sumpta ; ea supremâ illâ potestate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent. At quæ ex Provincialibus Conciliis, aut ex Episcoporum, aut aliorum Sanctorum libris, aut Epistolis accepta sunt, ea generalem non habent autoritatem. Accidit autem sæpè ut falsa sint apud Gratianum inscriptiones singulorum capitum. Ita fit, ut ne illa quidem capita vim legis obtineant, quæ dicuntur esse sumptâ ex Romanorum Pontificum, aut ex generalium Conciliorum decretis : sed necesse est adire fontes, unde emurrunt, ut certa ab incertis distinguamus. Hactenus doctissimus Augustinus, qui postea sigillatim in dialogis eruditissimis, de Gratiano demonstravit apertissimè, quæ generaliter & paucis, loco citato, antè comprehenderat. [In eandem rem similis observanda vetus quædam censura Parisiensis Episcopi, adhibito totius Sorbonæ consilio, prolata in condemnatione positionis, sive Thesıs cuiusdam Dominicani, qui posuerat, nihil reperiri apud D. Thomam, quod non esset credendum : quæ quidem Thesıs est damnata, & doctissimâ dissertatione damnatio confirmata, eaque extat in fine Librorum Magistri Sententiarum ; cuius dissertationis hæc est Summa : nec Magistri Sententiarum, nec Gratiani, nec S. Thomæ, imò nec ullius cujuslibet alterius Doctoris adeò per omnia veram esse sententiam, quin & Errare, & labi quandoque possit.]

Post Gratianum variæ Collectiones Decretalium promulgatæ sunt : sola tamen Gregorij IX. in scholis prælegitur, de qua ita ipse Gregorius loquitur in Præfatione. Sanè diuersas Constitutiones & Decretales epistolas Prædecessorum nostrorum in diuersa dispersas volumina (scilicet collegimus), quarum aliqua propter nimiam similitudinem, & quedam propter contrarietatem, etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur ; aliqua verò vagabantur extra volumina supra dicta. Quo loco per (diuersa volumina) intelligit quinque antiquas Collectiones, quæ præcesserant : quarum duæ priores priuata opera & studio collectæ sunt : ideòque non aliter in iudiciis fides illis habebatur, quàm si à scriniariis Ecclesiæ Romanæ recognitæ & comprobatæ forent : [ut constat ex Tancredi fragmento, edito à doctissimo Bosqueto in notis ad epist. 71. lib. 13. Registri Innocentij III. & ex cap. 40. Extra de sent. excom. ibi : quam Scholastici ab Alexandro Papa emanasse proponunt. Quo loco intelligitur cap. 2. Collectionis I. tit. de offic. & potestate Prælati & Iud. Ordin.] Tertia verò primùm autoritate publica, id est, iussu Innocentij III. promulgata est & confirmata, vt constat ex epistola primi Innocentij III. initio Collectionis tertię : [& à Glossa in cap. 18. de Præbendis in verbo confirmationem, & in verbo Ecclesiam, appellatur absolutè Compilatio Innocentij : & ex ea citatur utroque loco cap. 1. de re

Judicata, quod & eodem ordine in 3. *Collectione* reperitur.] Quarta etiam post aliquot annos ab eodem Innocentio III. composita; sicut & quinta ab Honorio III. nondum edita: [ex qua tamen quædam à Contio excerpta fuerunt, in editione Plantini, quæ falsò Parisinæ nomen habet expressum in Decretalibus; quamvis Antuerpiæ sit edita: quam & Panormitanus vidit, & Dominus Cujacius, ut probant notata ab eo ad *cap. 63. de appellat. & ad tit. de frigidis & malefic. in fine.*] Tres autem istæ postremæ, quæ publicæ fuerunt, solius Innocentij & Honorij Constitutiones habent. Postremò Gregorius IX. ut diximus, quæ prælegitur hodie, plenissimam Collectionem Decretalium confici mandavit ex illis antiquis Collectionibus, & ex aliis Constitutionibus, quæ extra illas vagabantur [quarum exempla refert Glossa in *præfationem* Decretalium in verbo *Vagabantur.*] quibus addidit suas, [proprio motu, & nullo petente editas.] De qua Collectione ita Matthæus Paris in *Henrico III. His quoque temporibus*, inquit, *Gregorius IX. videns tediousam Decretalium prolixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatis & collectas, solemniter & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit & promulgari.* [*Illas autem ab Autore ipsarum Gregorianas appellamus, sic incipientes, Rex pacificus, &c. In quibus quadam innovavit, ne scilicet illegitimi Prælatas vel Ecclesiastica beneficia, nisi adeptâ à Sede Romanâ legitimationis dispensatione, obtineant: sciens inde Curia Romana pro impetratione tali multa emolumenta provenire; sicut ex Statuto Innocentij pro dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum.*] Gregorij exemplum secuti sunt Bonifacius in Sexto, Clemens in Clementinis, Ioannes in Extravagantibus, & postremo autor Collectionis extravagentium communium. Quas omnes Collectiones veteres & novas extravagentium communi & generali nomine vocare possumus; quia scilicet extra Decretum Gratiani vagantur, cuius appendix & continuatio possunt dici, [Cuiacius ad *cap. 4. de sponsal. & matrim.*] Ideòque rectè Bernardus Papiensis autor primæ Collectionis *Breviarium Extravagentium* opus suum inscripsit, quasi ex veteri & novo iure, quæ à Gratiano ommissa fuerant, suppleret, ut constat ex *præfatione Collectionis primæ* eiusdem Bernardi, qui sæpè ad Gratianum nos remittit: unde factum est, ut passim citentur *Extra*; integro nomine, extravagentes.

De autoritate Decretalium Gregorij IX. & reliquorum satis constat eam esse publicam ex confirmationibus, quæ singulis præfixæ sunt. Hoc tantùm notandum propter graves inimicitias inter Bonifacium VIII. & Regem nostrum Philippum, Sextum Decretalium, qui Bonifacij autoritate editus est, in judiciis apud nos eandem non obtinere vim & potestatem, ac reliquas Collectiones. Et generaliter tam in studiis Iuris Canonici, quàm Civilis observare debemus, quod Philippus Pulcher præcepit in litteris quibusdam MS, quibus multa privilegia concessit Universitati Aurelianensi, anno Christi millesimo trecentesimo duodecimo. *Non putet igitur aliquis nos recipere, vel Progenitores nostros recepisse Consuetudines quaslibet, sine leges ex eo quod eas in diversis locis & studiis Regni nostri per scholasticos legi sinantur.* *Multa*

Nuper Tolosæ edita est ab Innoc. Cironio.

Vide tamen querelas Contij initio Decretalium.

De his omnibus vide *seq. præfationem* sub finem.

namque eruditioni & doctrinae proficiunt, licet recepta non fuerint: nec Ecclesia recipit quam plures Canones, qui per desuetudinem abierunt, vel ab initio non fuere recepti; licet in scholis à studiosis propter eruditionem legantur. Scire namque sensus, ritus & mores hominum diversorum, locorum & temporum valde proficit ad cuiuscunque doctrinam.





ΣΥΝΑΓΩΓΗ ΚΑΝΟΝΩΝ ΕΙΣ V.

πίτλοις διηρημένων ὡς Θεοδοίτου Ἐπισκόπου τῆς Κύρου.


ΟΙ τῆς μεγάλης χάριτος καὶ σωτηρίας ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι, καὶ μὲν καὶ τῆς Εκκλησίας αὐτῆς τῆς ἁγίας οἱ μετ' ἐκείνοις καὶ κατ' ἐκείνους ἄρχιερεῖς καὶ διδάσκαλοι, τῶν δὲ ἐθνῶν ἅμα καὶ Ἰουδαίων πληθύν, τῆς διαβολικῆς ἀπάτης καὶ τυραννίδος ἀποφοιτήσασαν ὀρθῆτε ἀγνοία καὶ πίστις πρὸς τὸν βασιλέα καὶ Κύριον τῆς δόξης ἀποβλήσασαν, ὁσίως ποιμαίναν ἐν χειρῶν ὑμῶν τῆς χάριτος· οἷα ὄντο δὲ ὡς περ οἱ πολιτικὸν νόμοι τοῖς πλημμελοῦσιν ἀκίβητοισι, τῆτο γὰρ δὴ ἄλλοις κομῆθαι καὶ λίσαι ἀτιμελὲς κατεφάνετο, πρὸς κινδυνώθην δὲ μάλλον αὐτῶν ἐπιμότατα, καὶ τοῖς αἰότιν ἰόντας ἐπιτρέφειν ἐσπούδαζον, ὅτι τοῖς πλανομένοις ἐπὶ καὶ τῆς δουλείας ἐκκλίνοντες ὡς ποιμῶν ὁ καλὸς ἀμειλιπὴ κατεθεύοντες, τοῖς δὲ πρὸς ἡδὴ κατενεργήσαντες ὅτι τὸ βαρῆθρον ἀσπᾶσαι πρὸς τῆς ἀγνοίας ἀγωνίζομενοι· καὶ τὸ μὲν ἡδὴ * σσηπῶς καὶ λίσαι ἠρρώσθηκῶς, τῆς μαχαίρας τῆς πρὸς μάλοιο δὲ μάλα * σαφῶς καὶ τεχνικῶς ἀποζέοντες· τὸ δὲ σωτηρίαν ἐξ αὐτῶν καὶ λυόμενοι φαρμακοῖς ποῖν ἀπαλοῖς καὶ δεσμοῖς λογικοῖς ἐπισφίγοντες, ἔτω τῆς χάριτι καὶ σωεργείᾳ τῆς πνέματος ὅτι τῶν πρὸς ἡμῶν ὑμῶν ἐπὶ τῆς χάριτι τῆς κἀμνοντας· ἵνα ποίνω αὐτοῖς οἱ μετ' ἐκείνων ἐσόμενοι τῆς ὑμῶν αὐτῶν ἀρχιερέων ἀβλαβεῖς ἀφασώζωσι, τῆτων ἕκαστοι καὶ κἀμοῖς ἰδίοις εἰς ταῦτον σωίοντες οἱ τεισμακαχεῖοι, τῆς θείας χάριτος οἰκονομύσης τῆτο καὶ σωαθροισούσης ἐκάστης αὐτῶν Σωδόδου τὸν σύλλογον, νόμοις πινὰς καὶ Καιόνας ἢ πολιτικῶς, ἀλλὰ θείοις πρὸς τῶν πρὸς ἀκτέων ὀξέθεντο τὸν ἐκάστου βίον καὶ ἔσπον ἐπὶ τῶν ἰουδαίων τῆς μὲν ὁδῶν βασιλικῆς πορβορῶν ὑποσχείζοντας, ἐπιπύμντες δὲ αὐτοῖς πλάγια. Ἐπὶ οὖν πάλαι καὶ κἀμοῖς ὑμῶν ἀφῶρων πρὸς ἀφῶροις καὶ ἀφῶροις ἀρῶντες οἱ

Notavit doctissimus Marcalib. 8. de Concordia Sacerdotij cap. 16. §. 7. Discrimen inter Ciuilem & Ecclesiasticum Magistratum. Vide S. Chryostomum tom. 3. editionis Parisiensis homilia 4. & 5. de Ozia; lib. 2. de Sacerdotio cap. 3. & 4. homil. 5. in Paulum, & maxime hom. 15. in fine ad epist. 2. ad Corinth. Vbi plenissima comparatio vtriusque tribunalis instituitur.

* καὶ τὸ μὲν ἡδὴ σσηπῶς καὶ λίσαι ἠρρώσθηκῶς.

* σαφῶς.

νόμοι καὶ Καίονες τῆς Εκκλησίας ἐτέθησαν· δέκα γὰρ μὲν τῶν
 ἀποστόλων αἱ μεγάλαί τῶν πατέρων γενόασιν σινοδοί. πρὸς
 τέτοις δὲ αὐτῶν καὶ βασιλεὺς ὁ μὴ πρὸ πολλῶν ἐχθρόνισεν. Εἰ-
 κότως καὶ διὰ τὸ ἀποστέλλω ὑπὸ αὐτῶν ὡς ἀπῆται τὰ κατὰ
 χρόνον αἰαφυόμενα, καὶ ἡ τάξις πρὸς πραγμάτων, ὡς ἐν κε-
 φαλαίοις διηρημένοι οἱ Καίονες ἐγράφησαν, ὡς ἐκ τέττα δυ-
 στεύρετον εἶ) κομιδῆ καὶ δυσπόρισον ὅ πρὸς πᾶσιν ἀδελφῶν
 πρὸς Καίονες ὀπιζιτέμενον. Ἀλλὰ τὸτο χρεῖται τῶν Κυρίου καὶ
 θεοῦ καὶ Ἁγίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰ ἀποστέλλω ὑπὸ αὐτῶν
 ὀριζόμενα καὶ κομιδῆς, εἰς ἐν ἡμεῖς ἀδελφίται ἀποστέλλαντες καὶ
 ταῦτα διελόντες εἰς πέντε πενήκοντα, ἡ τάξις πρὸς καὶ ἀκ-
 λουσίαν ἁριθμῶν ἐφυλάξαμεν, πρὸς ὡς εἰπεῖν καὶ δεύτε-
 ρον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, καὶ πέμπτον αὐτῆς Καίονας σινο-
 δαντες, ἀλλ' ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς οἷον τε σινοδοσάντες
 καὶ ἴσον ἴσῳ κεφαλαίῳ συμπλέξαντες, ῥαδίῳ ἐποιήσαμεν ἅμα
 καὶ ἄπονον τοῖς πᾶσιν ὡς οἷμα τῶν ζητουμένων ὄρεσιν ὅτι αὐ-
 τοὶ τὸτο μόνον καὶ πρὸς τῶν ἄλλων ποιῆσαι ὀρμήσαντες,
 ἀλλ' ἐπίτοις ὄρεντες ταῦτα διελόντες εἰς πέντε ἐξήκοντα,
 καὶ μήτε τοὺς Βασιλεῖς Καίονας τοῖς ἄλλοις ὀπισμασαντες,
 μήτε καὶ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις ὡς ἐδὲ πρὸς ἡμᾶς σινοδοσάντας,
 ὡς ἐν πέντε ἀλλὰ ὅ πολλοὺς πρὸς ἐνὸς κεφαλαίου καίονας
 ὀριζόμεθα, καὶ δυσάλωτα γίνεσθαι τὰ πρὸς τῶν πραγμάτων
 ἕνος παρὰ τῶν ὅλων κανονίζόμενα σαφετέρων, ὡς οἷοντε καὶ ἡ-
 μεῖς τῆ πρὸς ἡμᾶς τῶν ὁμοίων ποιῆσαι τῶν Καίωνων τῶν διαίρεσιν
 ἐσποδοσάντων. τῆς ἐκείνου πρὸς τέτοις τῶν πέντε ὀπιγραφεῖς
 πρὸς ἡμᾶς ὅτι μάλιστα τῶν ἐμφερονμένων τῶν διώσμεν. ὅ ἡ
 τάξις αὐτῆ τῶν σινοδοῦν μὲν τῶν ἀποστόλων, καὶ πόσοις ἐκείνη
 Καίονας ὀριζόμετο, πόσοις ὅ καὶ βασιλεὺς ὁ θαυμαστὸς σινο-
 δοσάντων ἀλλὰ τῶν ὑποκειμένων ἀπονητὶ τοῖς ζητήσι γινώσθη-
 σεται. εἰσι γὰρ ἕδὲ πως ἔχουσα καὶ ὅτι ἀσυμφωνῆς, ἀλλὰ καὶ
 λίαν ὀσύννοπος τῆς ὀπιγραφεῖς ἐθέλεισιν.



DOMINO VENERABILI

MIHI IULIANO PRESBYTERO

tituli Sanctæ Anastasiæ.

DIONYSIVS EXIGVVS.



SANCTITATIS vestre piis excitatus studiis, quibus nihil prorsus eorum, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, omittit inquirere, præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, qua valui, cura diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis distinxi compositis: ita dumtaxat ut singulorum Pontificum quotquot à me præcepta reperta sunt, sub vna numerorum serie terminarem, omnésque titulos huic præfationi subnecterem; eo modo quò dudum de Græco sermone Patrum transferens Canones ordinaram, quod vobis nimium placuisse cognoueram. Qui verò sincerissimo affectu Deum diligitis, & idcirco famulos eius laudanda sollicitudine continetis. Quis enim peregrinantium seruiens Christo, vestro non fouetur hospitio? Iustum credidi vobis in hac parte famulari, quatenus industriam vestram, quam cælestibus impenditis regulis, & præsens imitetur ætas, & posteritas * commiretur. Nam pro virtutis amore cuncta, quæ sunt vtilia, desideratis agnoscere; licet omnem venerandi Iuris obseruantiam moribus impleatis. Quantique sit apud Deum meriti beatus Papa Gelasius, & nos qui eum præsentia corporali non vidimus, per vos alumnos eius facilius æstimamus. Cuius eruditione formati gradum Presbyterij sancta conuersatione decoratis, ut in vestrorum morum perspicuo munere eius quodammodo videatur actio perlucere. Quem, sicuti vestra relatione comperimus, in tantum bonæ voluntatis extitisse gratulamur, ut, annuente Domino, principatum in Ecclesia pro multorum salute suscipiens, cum seruiendo potius, quàm dominando sustolleret, vitæque castimoniam doctrinæ meritis ampliaret. Denique omne opus eius aut oratio fuisse memoratur, aut lectio. Interdum quoque scribendi curam sumebat, prout causa vel ratio poposcisset, seruorumque Dei maxime consortio atque societate gaudebat. Quorum spiritali conlatione, tanto diuini amoris studio, tanto verbi Dei meditatione * frue-

* comiretur.

Vnde usque ad Gelasium inclusiue inseruit decreta Patrum.

* fouebatur.

40
batur, ut huic etiam illud, quod Psalmista cecinit, aptaretur: Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges eum à diebus malis. Huius enim seculi malos dies, ita Domino mitigante atque gubernante transegit, vt vniuersas tentationes mira prudentia & longanimitate sufferret, delicias ieiuniis sustineret, superbiam humilitate calcareret, tanta misericordia animi alacritate claresceret, vt omnes ferè pauperes satians, inops ipse moreretur. Profectò beatus hac inopia, per quam diuinis semper laudibus inherebat, sicut Propheta dicit ad Dominum, Pauper & inops laudabunt nomen tuum. Fuit enim vir ingenio luculentus, vita precipuus, aucteritate reuerendus. Et ideò tot virtutum ornatus insignibus, ad tam celsum officium non accessisset indignus; honorem summæ dignitatis graue nimis onus estimans, paruamque negligentiam Pontificis ingens animarum discrimen esse contestans. Idcirco nullo se desidioso otio tradidit, nec luxurioso conuiuio effusoque seruiuit, ex quibus rebus & animarum morbi nascuntur & corporum. Hic itaque pater summi atque Pastoris imitator existens, egregius Præsul Sedis Apostolicæ fuit, qui diuina præcepta fecit & docuit. Vnde eum magnum inter Sanctos esse confidimus, iuxta promissionem Christi Domini dicentis: Qui fecerit & docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum.



P R Æ F A T I O,

IN QVA PLENISSIME DISSERITVR, TAM
de Methodo, & Autoritate Collectionis Gratiani, quam reli-
quarum omnium Collectionum Decretalium post Gratianum;
ab Autore Nouem Tractatibus in IX. Priores titulos Lib. I. De-
cretalium præfixa, & edita anno 1641: postea quibusdam passim
Insertis, & notis adiectis aucta.



VRIS Canonici summam quandam cognitionem habere
desiderantibus, nihil vtilius visum est, quam generales
Tractatus quosdam in Decretales tradere. Institutiones enim
interpretari, à Lanceloto, Cucco Mediolanensi, Canisio,
vel aliis, priuato studio confectas, vel novas scribere,
periculosum est: quia studiosorum aures ea tantum ab initio debent
accipere, quæ certa sint, & autoritate publica confirmata; vt rectè
in *Confirmatione Institutionum*. Nam quæ priuatim quilibet, quamuis
doctus & ingeniosus scribit, in promptu est non admittere; nec in
iudiciis ullam vim & robur obtinent. Adde quod huiusmodi Institu-
tionum Autores, aliam viam & methodum instituentes, quam Ponti-
fices, & Iuris Canonici Conditores, à lectione Decretalium, vel om-
nino auertunt, vel saltem ad eas legendas, animos non præparant. In
Paratitlis vel longioribus Tractatibus aliter eueniet: nam in his ordi-
nem & methodum Decretalium sequimur; imò & Librorum, & Ti-
tulum connexionem & seriem investigamus, Rubricas interpreta-
mur, & quantum operis modus finit, origines Iuris Canonici veteris
& noui indicamus. Quinetiam, si quid vsus Galliæ non admittat, ex
Capitularibus, Pragmaticis, Concordatis, & [Iuribus, seu] quas vul-
gò vocant, Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, [vel etiam privilegiis] ad-
notamus. Qui enim hætenus Institutiones, aut Paratitla Iuris Ca-
nonici scripserunt; vel Iuris antiqui Canonici valdè periti non fue-
runt, vel locis & temporibus inservierunt, in quibus libros suos pro-
mulgarunt, insuperhabitis & neglectis, tam communis veteris, quam
Gallicanæ Ecclesiæ Iuribus, vel privilegiis; quæ rectè Gallicanorum
Tribunalium Consultissimi quique, ab antiquo iure communi vniuer-
sæ Ecclesiæ, ferè omnia repetita esse verissimè contendunt. Reliqui
ferè omnes populi, qui in Patria obedientiæ, quam vocant, moran-
tur, immutationes & innouationes posteriorum Constitutionum, quæ
frequenter occurrunt in Decretalibus, sæpiùs ultrò amplectuntur & re-
cipiunt.

*Institutum
Auctoris.*

*Libertates à
privilegiis se-
parandæ, Co-
quillius in præ-
fat:one hist. Ni-
uernensis pag. 18*

Antequam verò materiam aggrediamur, *Primo* necessarium est præ-
mittere duas summas, & totius Iuris Canonici præcipuas divisiones, *Tractatus.*

PARS PRIMIA.

F

ad quas sæpiùs in progressu recurrendum erit. *Secundò* de Collectione Decretorum Gratiani tractabimus plenius, & desinemus in variis Collectionibus Decretalium, earum Autoribus, tempore, & methodo, explanandis; quia ex illis Collectionibus tandem Gregorius IX. postremam hanc nostram, opera Raymundi à Penna forti composuit; Cuius gratiâ, aliquos Tractatus conscribere instituimus, maioris operis specimen & *Νύγμα*.

Dua totius Iuris Canonici partitiones.

* *Prima.*

Διατυπώσεις illas quidam censent esse figmenta Gelasij, Blondetis & similes.

Vt à divisionibus incipiamus; *Ius Canonicum dupliciter diuidimus*, vel ratione materiæ, argumenti, siue subiecti; vel ratione formæ.

Ratione materiæ Ius Canonicum, vel ad fidem, vel ad mores, seu disciplinam Ecclesiasticam formandam vel componendam pertinet. Quæ ad fidem pertinent, continentur symbolis, siue formulis fidei, Synodicis Epistolis, vel etiam Decretis, seu Anathematismis contra hæresim & hæreticos factis. Huiusmodi sunt Nicænae *Διατυπώσεις* apud Gelasium Cyzicenum; duodecim Anathematismi Cyrilli contra Nestorium in Synodo Alexandrina editi, qui malè vulgò in plerisque Codicib. tribuuntur Concilio generali Ephesino: itemque decreta in Synodo V. sub Iustiniano edita. Illæ omnes species, generali nomine, Dogmata appellantur.

Quæ ad mores spectant, Canonum nomine specialiter designantur. Vnde frequens in Conciliis & Patribus, Dogmatum, & Politia distinctio.

Ex hac diuisione, duæ regulæ certissimæ eliciuntur. *Prima*, In his quæ sunt fidei, Ecclesias omnes debere convenire: fidem vnã integram apud omnes esse oportere: & vt loquitur Tertullianus initio *de Virginib. velandis*, *Regula fidei vna omninò est, sola immobilis & irreformabilis; huic nihil addi, vel detrahi potest.* Quare propter eius dignitatem in Conciliis semper de fide primò tractatur, antequam de moribus & politia quærat. *Secunda Regula*: Quæ ad disciplinam & conversationem, seu politiam Ecclesiasticam spectant, vel in totum immutare licet, vel pro parte; vel in gratiam, Regni, Provinciæ, Loci, vel Temporis, singulari privilegio dispensare: non tamen priuata auctoritate, sed publica; eorum nempe, qui Ecclesiæ præsunt; præterea accuratissimâ causæ cognitione præcedente, *can. 14, & 15. & 16. Causa 1. Quæst. 7.* Prudentissimè veteres secutus Iuo Carnotensis, in *doctissima præfatione sua Collectionis; In his quæ propter rigorem discipline, vel muniendam salutem, posterorum sanxit diligentia, si honesta, vel utilis consequatur compensatio, potest præcedere auctoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio.* Idemque sentit Eulogius Alexandrinus Patriarcha in *fragmentis libri de Dispensatione, seu Oeconomia Ecclesiastica*, apud Photium in *Bibliotheca*: vbi notandum, falli Interpretem, qui vbique *Oeconomiam* interpretatur, *Incarnationem*. Quibus accedat Bernardus in *libro de Præcepto & Dispensatione, cap. 3. 4. & 5.* [In his duobus, fide & politia, verum laborem & studium vtile Theologiæ constituit S. Chrysostomus *lib. 4. de Sacerdotio cap. 4.* & reiicit ac damnat reliquas inutiles & curiosas tractationes, suo tempore, sicut & nostro frequentes nimis *ἰσοχάλις*, pag. 73. & *tomo 4. editionis Parisiensis pag. 77.* Et quidem in his, quæ ad fidem & dogmata; nulli

parcendum asperrimè agunt Apostoli : in his , quæ ad mores ; benigniùs & mitiùs : idem S Chrysoſtomus in 1. ad Corinth. cap. II. *tomo 5. prædictæ editionis*, pag. 291. & 292. & in præfatione (*anonum Theodoretus in epistola preliminari.*)

Secunda diuifio ratione formæ : Ius omne Canonicum, vel venit ex scripto, vel sine scripto, & vt ait Ifidorus in *Canone 3. Dist. 1 omne ius legibus, & moribus constat*, Legis nomine latiffimè sumpto; ita vt omnes species iuris scripti comprehendat: cuius duæ sunt partes summæ, & generaliffimæ; *Sacra Scriptura, & Canones*. Sacræ Scripturæ veteri & nouo Testamento continentur. Canonum triplex est subdivifio: sumuntur enim vel ex Conciliis, aut Constitutionibus Pontificum, aut ex dictis Patrum, *Leo IV. in can. 1. Dist. xx.* vbi hunc ordinem seruat. Præferuntur sacrorum *Conciliorum Canones*. Sequuntur *Decretales Epistola, seu Decretalium regula*, quæ, vt ait, *cum Canonibus apud nos habentur*. Postremò *ex Patrum scriptis excerpta* subiiciuntur; quæ non parem habent vim, qualem Canones Conciliorum, vel Constitutiones Pontificum. Idem ordo & in veteri Codice Canonum Ecclesiæ vniuersæ feruatur, quem *Leo IV. in dicto Can.* significat: eundémque Gratianus sequitur, vt constat ex *Dist. xv. xvi. xvii. xviii. xix. & xx.*

Secunda diuifio!

Primò enim agit Gratianus de Conciliis. Secundò De Constitutionibus Pontificum. Tertio In *Dist. xx.* de dictis Patrum.

Primus apud Græcos *Theodoretus in Collectione Canonum*, quædam ex *Epistolis Basilij* retulit. Theodoretum Collectores Græci secuti, ex aliis Patribus Græcis multa desumpserunt, Dionysio Alexandrino, Petro Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, & aliis, qui enumerantur in *Can. 2. Synodi VI. in Trullo*. Apud Latinos pariter, in Collectionibus postremis, Burchardi, Iuonis, Gratiani, & aliorum, quæ nondum sunt editæ, multa desumuntur, non tantùm ex dictis Patrum; sed etiam ex Iure Ciuili, *Pandectis, Codice & Nouellis Iustiniani, Cod. Theodosiano*, imò & ex *Capitularibus Regum* nostrorum.

Haftenus hæc de variis speciebus Iuris Canonici, quod venit ex scripto. Iuris non scripti vnica est species, Consuetudo, siue Traditio. Traditio verò, aut vniuersalis & totius Ecclesiæ; vel particularis, & propria est unius Ecclesiæ. Nec obstat eas traditiones postea in scripta redactas fuisse, & per consequens Iuri scripto videri tribuendas. Origo est inspicienda, quâ hoc ius tacito & illiterato consensu, [ab initio] paulatim receptum est vsu: sicut in Iure Ciuili Ius non scriptum, & moribus introductum dicitur; postea tamen à Iurisconsultis scriptis comprehensum. De quo iure non scripto vide *Dist. i. & xii.* Vnde colligimus male Gratianum in *can. 5. Dist. 1.* distinguere: Consuetudinem in scriptis redactam, vocari Ius; quæ vero in scriptis non est redacta, generali nomine Consuetudinis censerì.

Nunc de Gratiani Collectione agendum, quæ videtur absoluta tempore Eugenij III. circa annum 1150. vel 1151. vt ait glossa Hugutionis veteris Interpretis Decreti, ad *can. post appellationem, vers. ego Ancelinus* [Causa II. Q. 7.] ibi, *dicit Hugutio, quod hic est falsa litera*. Forsterus etiam in *vitis Iurisconsultorum*, ex ipsius Gratiani tumulto Bono-

nia, & Correctores Rom. in *præfatione Gratiani*: quibus adde omnino
 Antonium Augustinum *Dialogorum de Emendat. Gratiani*, lib. 1. cap.
 1. & *fusiùs* lib. 2. cap. 9. Obseruandum verò, falsum esse, quod Tri-
 themius scribit in *vita Gratiani*, & in *Chronico Hirsaugiensi* pag. 184:
 quem & alij deinde multi postea secuti sunt, Collectionem Gratiani
 Eugenio III. oblatam fuisse, & ab eo confirmatam. Non extat huius-
 modi confirmatio. Quare rectè nihil de huiusmodi confirmatione Gra-
 tiani, in Editione Romana, sub Gregorio XIII. editâ, qui inchoa-
 ram Gratiani emendationem sub Pio IV. & V. feliciter consummauit,
 diuinâ quadam prouidentiâ, vt qui primò Antecessor Bononiensis Ius
 Canonicum erat interpretatus; Cardinalis postea, à Pio IV. fuerat delectus
 inter eos, qui primi Gratiani emendationi vacarunt; tandem factus
 Pontifex, operi vtilissimo vltimam manum imponeret. Prodiit itaque
 & emendatior & melior longè Gratiani Collectio sub Gregorio XIII.
 nec idèò tamen ab eo publica autoritate confirmata est; ita ut robur
 haberet in iudiciis, sicut Collectio Decretalium Gregorij IX, quam in
 scholis prælegimus, de qua deinde dicetur. Ex his colligimus, canones
 qui citantur ex Gratiano, non omnes habere eandem vim & potestatem;
 recurrendum esse ad originem & fontes, vnde manarunt. Alio enim iure
 censentur ea, quæ ex Conciliis, alio quæ ex Constitutionibus Ponti-
 ficum, alio quæ ex dictis Patrum, *can. 1. Dist. xx.* Quam in rem vide
 Iudicium accuratissimum Antonij Augustini, in *Præfat. ad Canones
 penitentiales*. Quin, ut supra notauimus, multa ex Iure Ciuili Gra-
 tianus retulit, quod primùm in iudicia & scholas circa ea temporare-
 ritutum erat in Italia, à Lothario Saxone Imperatore, suasionem Ma-
 thildis Comitissæ; *Chronicon Abbatis Vspergensis in fine vite Lotharij*.
 Postremò obseruandum, multa ex incertis, & supposititis scriptis in-
 seruisse Gratianum in suam Collectionem, quæ occasionem dederunt emen-
 dandi, vt diximus; & doctissimo Augustino scribendi *duos libros de
 Emendatione Gratiani*. Ante Augustinum, & Romanos Correctores, id
 Ant. Demochares viderat; fusè verò Ant. Contius, in *Præfatione sua*
 significauerat; quam idèò mutilauit Antuerpiensis librorum Censor;
 qui ex ea breue tantùm nobis fragmentum reliquit; qua de re meri-
 tò conqueritur Contius *lib. 1. Lectio. subseciu. cap. 10. in fi.* Vestigia
 tamen fraudis supersunt in fine *Præfationis Secunde* Contij, in qua
 apertè profiteretur apocrypha & commentitia plurima Gratianum suæ
 Collectioni admiscuisse: quod & repetit in *notis ad can. Septuaginta.
 Dist. xvi.* & ad *inscriptionem canonis 2. Dist. xxxi.* ibi: *Item Anacletus.*
 Vbi quod inducitur Contius, *Maiorem se requirere probationem* [(quod
 fortè Demochares dixit, vel Antuerpiensis Corrector)]; ipse præsti-
 terat in *sua Præfat.* mutilatâ postea, vt diximus, sicut ostendunt nota-
 ta ab eodem, *ad d. can. Septuaginta, ad. can. 1. & can. iudicantem xxx.*
Quest. 5. Quibus ex locis illustrantur valdè, quæ scribit doctissimus
 Augustinus, *lib. 1. de Emendat. Gratiani, cap. 20. in fine.* Constat ta-
 men cum falli, cum ait, *ea verba mihi videntur Molinai esse, non
 Contij.* Sunt enim reuera Contij, & ipse Contius ea sibi asserit, si
 loca omnia, quæ citauimus supra ex editione Antuerpiana diligenter
 comparentur. Romani Correctores, notas Contij ad dictos canones

omiserunt: cautiùs sanè, quàm Antuerpiensis Censor, qui Præfationem quidem mutilauit; notas verò suprâ citatas imperitè reliquit, quibus idem dicebatur, quod in Præfatione. [Notandum Contij editioni notas ex editione Democharis plures admixtas fuisse in editione Antuerpiensi absque delectu; ita vt non rarò inter se pugnantiã inferantur. Nec enim eadem semper fuit sententia Democharis, quæ Contij; qui Contiùs & longe eruditior, & ingeniosior erat.] Obseruandum præterea, quod certè etiam notauit Azo ad tit. ne fideiuss. dot. dentur. Cod. in decretis non licere argumentari ex rubricis; quia sunt ipsius Gratiani, aliter quàm in Decretalibus, Dig. & Codice. Imò adde; nec Conciliationes, quas vocat Gratianus, discordantium Canonum, & adnotauit de suo, ampliorem vim habere, quàm alicuius Doctoris atque Magistri, non autem Legislatoris. Postremò meritò Gratiani methodus improbatur à viris doctis: permixtim enim, & confusè multa tradit. Suam verò Collectionem inscripsit *Concordiam discordantium Canonum*: componere enim solet, & conferre plures Canones, vel re vera, vel in speciem pugnantes, & eos conciliare.

Vniuersum opus in tres summas partes diuisit. Distinctiones, Causas, & Tractatum de Consecratione. Quæ prima diuisio plana est & facilis, ad exteriorem tantùm operis Formam, & ad citationum usum potissimùm accommodata: nec habet opus longo sermone.

Partitionem secundam, ratione Materiæ, pluribus declarabimus. Maioris est utilitatis & difficultatis: continet enim non tantùm consilium, & institutum Autoris; sed etiam introductionem quandam suppeditat ad opus vniuersum, cuius per indicem nobis exhibet cognitionem. Verùm ne videamur nimis ingeniosi, & anxij in alieni operis enucleandâ methodo, Gratiani mentem, ex ipsius verbis, variis ex locis Decreti collectis; itemque ex annotationibus vetustiorum Interpretum, ita breuiter indagabimus, ut paucissima de nostro intermiscemus.

Distinctionibus viginti primis quid Gratianus tractauerit, & quid sequentibus, usque ad centesimam & ultimam tractaturus sit, apertè explicat inito *Dist. xx. Decretis ergo Romanorum Pontificum, & sacris Canonibus Conciliorum, Eclesiastica negotia, ut suprâ monstratum est, terminantur*. Viginti distinctiones illas explicauimus ferè, Libro singulari in eam rem edito, *De Origine, Arte, & Autoritate Iuris Canonici*. Subiicit Gratianus loco eodem. *Ministri verò Sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum, sunt summi Pontifices, & infrâ Presules, & reliqui Sacerdotes: quorum institutio est in veteri Testamento inchoata, & in nouo plenius consummata, &c.* Iterùm inito *Distinct. xxiii.* Breuiter quæ inter Ecclesiastica officia si differentia, monstrauimus. Nunc à summo Pontifice incipientes, & vsque ad ultimum gradum descendentes, qualiter quisque eorum debeat ordinari, Sanctorum auctoritatibus ostendamus. In *Can. ult. Dist. ci.* Hactenus de electione & ordinatione Clericorum tractauimus. Nunc ad Simoniacorum ordinationes transeamus. Rectè itaque Gratianus, & primæ Collectionis compilerator Bernardus Circa, à Distinctione vigesima primâ, incipere *Tractatum ordinandorum* asserunt.

Vide infra §. Durantes.

Prima Diuisio Collectionis Gratiani ratione Forma.

Secunda, ratione materiae.

Argumentum primæ partis Gratiani, in C. distinctiones: quæ pars vulgè tractatus Ordinandorum, siue de Ordinationibus vocatur. Tractat verò xx. primis Dist. de Origine, auctoritate, & variis Iuris Canonici speciebus: Reliquis Dist. de Clericis

& eorum variis & desinere in *Dist. comesima prima*. Hæc de primæ partis in distinctionibus, diuisione.

Dignitatibus,

Ordinationibus, Promotionibus, Honoribus, eorumque Officiis. *Secunda Parte*, quæ *Causas xxxvi.* habet, coniunctim & permixtim tractat de rebus & negotiis; criminalibus primùm, & deinde Civilibus, & de Iudiciorum ordine.

Argumentum Obscuriùs & perplexiùs digessit Gratianus *Secundam partem*, quæ in *secunda partis Causas*, & *Questiones* resoluitur. *Glossa* seu *Interpres* vetus suppleuit, quod omisit Gratianus initio *Causæ primæ*, his verbis: *Expedito*

Causas.

Tractatu de Ordinationibus, promotionibus, & officiis Clericorum; accedit Gratianus ad *negotia*, quorum quedam sunt civilia, quedam criminalia, in quorum persecutione, maiora minoribus preponit. Et quoniam omnia crimina respectu *Simonie* nihil reputantur, ut infra ead. *Q. 7.* patet; ideo de ea premitit, quærens, *An sit peccatum spiriualia emere?* &c. In fine *Q. 7.* *Causa primæ* ita Gratianus ipse. His breuiter premissis, ad ea veniamus, quæ *Ecclesia* seueritate disciplina parata est ulcisci, ostendentes quibus accusantibus, vel testificantibus, quilibet sint conuincendi; quo iudice quisque debeat condemnari, vel absolui: si *causa* vitiosa fuit, quo remedio possit subleuari: si *accusatores* defecerint, an *reus* sit cogendus ad *purgationem*. Et v. *facilius* pateat quod dicturi sumus, &c. Ita verò *Glossa* ad *d. can. ult. Transitu* vitur, scilicet colore *Rhetorico*, quo dicta dicendis continuat, & dicenda dictis, summam dicenda perstringens.

Et iterum initio *Causæ ii.* In superiori *Causa actum* est de crimine *Simonie*: & prius de eo, quod gravissimum est: sed quia crimina sine ordine iudiciario puniri non debent; ideo congruè hanc *causam* annectit. In qua de ordine iudiciario tractat, ostendens quod nemo condemnandus est, nisi conuictus, vel confessus; & quod spoliatus præter iuris ordinem, sit restituendus; & qualiter puniantur, qui in accusatione deficiunt, qualiter obiecta crimina non probata purgentur, & qualiter sententia releuetur per *appellationem*; & utrum *Laici* admittantur ad *accusationem Clericorum*, & qualiter sit *accusatio* facienda, &c.

Occasione rap- Initio *Causæ septimæ*, ita *Glossa*. *Supra vi. Q. 3. cap.* Denique, *ta, interrumpit* facta fuit mentio de *Renuntiatione Episcopatus*: unde Gratianus nactus *ordi em.* *Gra-* occasionem subiicit *Causam* istam, in qua tractat de *Renuntiatione*, & *tianus* usque ad *an* relato viuento, alius sit ei substituendus, & de *mutatione sedis*, *Causam* unde- & quibusdam aliis, nempe in *Causa septimæ & octaua*, *questionibus variis* *ciam.* excutiuntur prædicta materia.

Initio *Causæ nonæ* ita *Glossa*. *Suprà* in *octaua Causa* ostensum est de *Episcopis*, qui *usurpant* sibi eligere *successores*. Nunc verò vult tractare de *Episcopis excommunicatis*, qui *presumunt* *Clericos* ordinare, & de *Archiepiscopis*, qui *damnant* *Clericos* sui *Suffraganei*, *inconsulto* illo.

Initio *Causæ decimæ* ita *Glossa*. In superiori *Causa* dictum est quod *iuris* habet *Archiepiscopus* super *suffraganeis* suis. Nunc verò supponit *decimam Causam*, in qua ostendit Gratianus, quid *iuris* habeat *Episcopus* in *Ecclesiis* sui *Episcopatus*.

Initio *Causa undecima*, Glossa. In superiori *Causa* ostensum est, quod *Ecclesia* cum omnibus suis possessionibus ad dispositionem pertinent *Episcoporum*: sed quia posset aliquis dubitare, sub quo iudice Clerici debeant conveniri; sub *Ecclesiastico* scilicet, an sub *seculari*; ideo *Gratianus* hanc *undecimam Causam* subnectit, in qua, [primùm, id est in *Quæstione prima*] ostendit, Clericos sub *Ecclesiastico* iudice esse conveniendos. [In 2. verò & 3. plenissimè de sententia excommunicationis & censuris agit; cum quibus *Causam xxiv.* iungere præstabit, ut & *Causam xxvi.* in qua de reconciliatione excommunicatorum & pœnis morientium.]

Ab *undecima* itaque *Causâ* redire videtur ad ordinem & formam iudiciorum, quem à *Causa secunda* inchoaverat, & intermiserat, infertis *Causis* quatuor aliò pertinentibus, *septimâ*, *octavâ*, *nonâ*, *decimâ*.

Ad cœptum, & interruptum ordinem redit.

Argumentum verò, & subiectum *Causæ duodecime* ita Glossa proponit. In *undecima Causa*, *Q. 1. can. Inclita, & ca. Placuit* (41. scilicet & 42.) Introduxit *Magister Gratianus* Clericos litigantes de rebus propriis. Sed quia posset dubitari, an Clerici debeant habere propria, quia prædecessores eorum omnia habebant communia; de quibus dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia*; ideo supponit hanc *duodecimam Causam*, in qua ostendit, An Clerici propria possint habere? & annectit, *De alienatione rerum Ecclesiæ, & utrum liceat condere testamenta.*

Initio *Causæ decime tertiæ*, Glossa. Supradictum fuit in *duodecima Causa*, quòd quidam Clerici non debent habere propria: sed aliquis quæreret, unde vivere debent? Ostendit *Gratianus*, quòd de decimis & oblationibus vivere debent. Sed quia de decimis, & oblationibus, & sepulturis, sæpè oritur contentio inter Clericos, & etiam Laicos: ideo subnectit *Gratianus* hanc *decimam tertiam Causam*, in qua ostendit, quid de decimis & oblationibus, & sepulturis observandum.

Initio *Causæ decime quartæ*, Glossa. Suprà in proxima *Causa* Clerici introducuntur litigantes de *Spiritualibus*. Nunc autem subnectit *Gratianus* hanc *decimam quartam Causam*, in qua introducuntur litigantes de *Temporalibus*, ostendens, qualiter Clericis liceat reperere sua, & an domestici testes sint admittendi, vel assumendi. Addit etiam de *usuris*, & de turpi quæstu Clericis interdicto, & utrum *elemosyna* fieri possunt de male acquisitis.

Initio *Causæ decime quintæ*. Suprà in proxima *Causa* tractatum est de *Avaritia*, qua obumbrat mentem Clericorum: sed quia *Incontinentia* idem facit, ideo subnectit *decimam quintam Causam*, in qua de *Incontinentia* tractat, & de his, que fiunt mente alienata: & de aliis multis.

Initio *Causæ decime sextæ*, Glossa. *Magister* hactenus de statu *Ecclesiarum* egit, & *secularium Clericorum*: sed quia religione *Monachorum* multum decoratur status *Ecclesiarum*; ideo in sex sequentibus *Causis* tractat de statu *Monasteriorum*, & *Monachorum*. In hac ergo *prima Causa* agit, de officio *Monachorum*, ostendens, an valeant officia celebrare,

Inferit tractatum

De statu Monachorum, & seriem interruptum.

& eorum Capella debeant per eos institui. Annectit etiam generaliter de prescriptione tam Ecclesiarum, quam Monasteriorum; & quod nullus auctoritate suâ rem, quam ad se credit pertinere, valeat usurpare. Addit etiam, quod Laici nullam habent in Ecclesiis potestatem. Omittimus breuitatis causa, quæ in sequentibus Causis, ad statum Monachorum pertinentia specialiter, initio singularum, adnotauit Glossa.

Redit ad Clericos.

Initio Causa vigesima prima, Glossa. Supra facta interpositione, in quinque Causis de statu Monachorum, reuertitur Gratianus ad tractatum de statu Clericorum; continuans suum tractatum, ex fine ultimi capituli Causa vigesima, ubi dictum est, quod Abbas non debet habere plures Ecclesias, siue plura Monasteria. Sed quia idem seruandum in Clericis, scilicet quod non debent habere plures Ecclesias; idem hanc vigesimam primam Causam subnectit, in qua ostendit, quod Clerici non debent habere plures Ecclesias, nisi in casibus exceptis.

Initio Causa vigesima secunda. In superiori Causa tractatum est de obedientia Clericorum erga suos Episcopos: sed quia quandoque quis iurat, se suo Prelato non obedire; idem Gratianus hanc vigesimam secundam Causam subnectit; in qua de iuramento tractat, & de mendacio; & quot comites iuramentum habeat.

De Hæreticis aberrat paululum à materia.

Initio Causa vigesima tertia. Suprà tractatum est de Catholicis, & dictum est, quod non sunt cogendi ad malum. Nunc verò subnectit Gratianus vigesimam tertiam Causam, in qua de Hæreticis tractat, querens an Episcopi Officio sint cogendi ad bonum? Item queritur, an militare sit peccatum; & quod bellum debeat dici iustum, & quod iniustum, & an vindicta sit inferenda, & an peccatum sit iudici malos offendere, condemnando scilicet.

Initio vigesima quarta, Glossa. Suprà in vigesima tertia Causa tractatum est de hæreticis: sed quia Hæreticorum quidam sunt manifesti, quidam occulti, & quandoque excommunicat Ecclesia hæreticos; idem Gratianus subnectit hanc Causam vigesimam quartam, in qua tractat de omnibus istis.

Nouus tractatus de Priuilegiis Romana, & aliarum Ecclesiarum. Initio vigesima quinta, Glossa. Expedito tractatu Hæreticorum, subnectit Gratianus vigesimam quintam Causam, in qua tractat de Priuilegiis Romana Ecclesia. Tractatur etiam sepius in eadem Causa de Iuribus & Priuilegiis aliarum Ecclesiarum.

Nouus Tractatus de diminutionibus, reconciliatione excommunicatorum, &c. Initio vigesima sexta, Glossa. Expedito tractatu de Priuilegiis, supponitur Causa vigesima sexta: in qua tractatur de diminutionibus, & reconciliatione excommunicatorum, & de pœna morientium.

Initio vigesima septima. Gratianus primò tractauit de Officiis Clericorum; secundò de causis & negotiis eorum; tertio transfert se ad Sacramenta: sed quia Matrimonium ceteris Sacramentis est tempore antiquius, & usu communius; idem de illo præmittit. Sequitur deinde interpretatio Ioannis prolixior, quæ continet breuem & elegantem synopsis totius materiæ de Matrimonio: Et quia de matrimonio sepe queritur in iudicio, idem assignando multiplicia eius impedimenta, tractat de eo, continuat decem Causas. Hæc Ioannes: de quo nota lectu digna reperitur, in Paraleipomenis seu Auctario, ad Conradum à Liechtenau, vulgò dictum Abbatem Urspergensis ordinis Præmonstratensis, ad

quis fuerit iudicio, idem assignando multiplicia eius impedimenta, tractat de eo, continuat decem Causas. Hæc Ioannes: de quo nota lectu digna reperitur, in Paraleipomenis seu Auctario, ad Conradum à Liechtenau, vulgò dictum Abbatem Urspergensis ordinis Præmonstratensis, ad

quis fuerit iudicio, idem assignando multiplicia eius impedimenta, tractat de eo, continuat decem Causas. Hæc Ioannes: de quo nota lectu digna reperitur, in Paraleipomenis seu Auctario, ad Conradum à Liechtenau, vulgò dictum Abbatem Urspergensis ordinis Præmonstratensis, ad

annum Domini 1256. Hoc tempore floruit Ioannes Semeca Teutonicus Iuris Doctor, qui Herculeâ audaciâ primus aggressus est glossare Decretorum, quod ante eum nemo; & post eum, nullus excellentius fecit. Qui secutus est aliquot annis postea, circa annum Christi 1266. Bartholomæus Brixienfis, Collector Glossæ Decreti, ex eo plurima ingenue proficitur se desumpsisse, & in Notis Ioannem absolute ascribit. Celsi vero animi, & ingenij acuti fuisse, ejus Notæ fidem faciunt, & quæ de eo subiiciuntur, in dictis Paralipomenis. Hic Clementi IV. Summo Pontifici, tum per Germaniam, sicut Galliam, decimas à Clero in redemptionem terre sanctæ exigenti, appellationem opposuit: sed Papa excommunicavit, & Præpositura Halberstatensi privavit. Sed erant magni in Germania viri, qui Ioannem deserendum non putabant. Mors vero, æquo pulsans pede pauperum tabernas, Regumque turres, hanc litem dirimit, & Pontificem ac Præpositum è medio sustulit. Ioannes Andreæ eum reliquis, qui ejusdem nominis plures scripserunt in jus Canonicum, censet præferendum, non ex ordine, sed ex fructu, in Præfat. Clementinarum in verbo Ioannes.

gustinus tribuit
doctissima scho-
lia quedam in
quartam Col-
lectionem.

Initio Causæ trigesimæ tertiæ Glossa. Post Matrimonij impedimenta expedita superius, supponit Gratianus Causam trigesimam tertiam, in qua tractat de impotentia coeundi, & de enormitate dilecti, & de tempore Feriarum, & alia quedam annectit. Et iterum: Tractavit Gratianus supra de impedimento Matrimonij, quod procedit ex animo, & etiam de eo, quod procedit, tam ex animo, quam ex corpore coniunctim. Nunc tractat in Causa ista, de eo, quod procedit tantum ex corpore. Tractat etiam de quibusdam aliis impedimentis, ut de frigidis, & maleficiatis can. 1. & 3. & enormitate delicti, ut infra, Quæstione secunda Can. de his & sequentibus; & de tempore Feriarum, ut infra Quæst. 4. per totum.

Ordinis & tractationis interruptæ, si quis alius in Gratiano locus, hic maximè est observandus. A Causa vigesima septima cœperat agere de Matrimonio, cui decem Causas, propter materiæ utilitatem & ubertatem destinaverat: tamen in Causa trigesima tertiâ Quæst. secunda, Parte 6. can. 12. desultat. Ita enim Gratianus ante d. can. præfatur. De pœnitentibus quoque queritur, an eis generaliter post pœnitentiam peractam, coniugia concedantur? Generaliter enim Canonica auctoritate, prohibentur pœnitentes ad secularem militiam redire, vel Matrimonia contrahere.

Aberrat Gra-
tianus.

De Pœnitentia.

In sequenti Quæstione 3. primæ digressionis occasione leuissimâ raptâ, alienum planè à proposita materia de Pœnitentia Tractatum interferit; cuius licet nimium longæ intercalationis, monitos voluit Gratianus. Ita enim initio d. Quæst. His breuiter decursis, in quibus extra negotij finem, aliquantulum evagati sumus, (nempe in 2. Quæst. d. Causæ xxxiiij. incidentes tantum quæstiones, & proposito non planè coherentes, tractauerat; maximè verò à capite 12. d. Q. 2. ubi 6 pars de Pœnitentibus) ad proposita Causæ tertiam Quæstionem pertractandam, qua queritur, Vtrum sola cordis contritione, & secreta satisfactione, absque oris confessione, quisque possit Deo facere, redeamus. Ita enim vno ductu in MSS. Gratiani exemplaribus, remotâ distinctionum notâ, legi, asseruit Contius, & post Contium, Romani Correctores, his

verbis : *Initio d. Q. 3. Gratianus, ad explicandam hanc tertiam Questionem, multa attulit; quam per longam tractationem, qui cum secuti sunt, in septem Distinctiones diuiserunt. In antiquioribus enim exemplaribus, nulla est Distinctionum separatio: in aliquibus verò in margine tantum est, Distinctio prima, secunda, &c. & iterum ad hæc verba: Vtram sola. Hæc coniungenda sunt cum superioribus, quemadmodum in peruetustis sunt coniuncta: ab illis enim pendent.*

Gratianus non tanquam erro, sed planè fugitiuus, post longas moras & euagationes de Pœnitentia, iocò, an seriò insertas, quia Matrimonium aliquando comes sequitur Pœnitentia; redit ad materiam de Matrimonio, in *Quest. 4. d. Cause xxxiiij. vsque ad Causam xxxv.* in qua desinit secunda Pars Collectionis Gratiani.

Tertia Pars & vltima superest, quæ breuissima: huic titulus, *De Consecratione.* In cuius initio, *Glossa. Expleto tractatu Matrimonij, quod est commune omnium Nationum, explicitis etiam varis Causarum conflictibus; agitur de Sacramentis, quæ necessaria sunt ad salutem, & hoc ordine. Primò, De Ecclesiarum consecratione. Secundò, De Sacramento Eucharistia. Tertio, De solemnitatibus Festiuitatum. Quarto, De Sacramento Baptismi. Quintò, De Confirmatione, & diuinis Officiis, & Ieiuniis; & in fine, De Spiritu sancto: & sic Tractatus iste in quinque Distinctiones est distinctus. Et notandum quod cum in aliis Tractatibus Magister interseruit suos §§. & solutiones, in hoc Tractatu non nisi duos ponit §§. vnum, in prima (nempe in fine can. 50.), alium in quarta Distinctione, nempe in fine can. 19. & 20. Hoc idè, quia de Sacramentis sobriè est loquendum, in quibus etiam vera loqui, periculosum est.*

Ordinem suprâ expositum ratione materiæ, ipse Gratianus, & primæ Collectionis, qui floruit paulo post Gratianum, Collector; itemque vetustissimi Gratiani sequuntur Interpretes. Ipse Gratianus, ad *can. 6. Necessaria Causa 1. Q. 7. §. Priscis igitur. Require suprâ in Tractatu Ordinandorum, intelligit can. 1. Dist. lv. & post can. 48. vij. Q. 1. Tu bonus tolera malum, &c. Infrâ de tolerandis malis in prima Causâ hereticorum, indicat can. 2. Causa xxiiij. Q. 4. Gratianus ad can. 19. de Consecrat. Dist. iv. Diaconis quoque propriam, ut suprâ, in Tractatu Ordinandorum, indicat can. 13. Dist. xix. Iterum ad cap. 20. de Consecrat. Dist. iv. Gratianus. Vnde Urbanus Papa II. super quibus consuluit, &c. et suprâ in Tractatu coniugij, vbi de Compatribus agitur, indicat can. super quibus 4. Causa xxx. Q. 3. In prima Collect. Decretal. in fine cap. 9. de electione. Illud autem, quod de Episcopi consecratione, indicat can. 1. Dist. lxxvj. quod & præstantissimus Antonius Augustinus ad eum locum adnotavit. Plura quisque per se poterit exempla perquirere, digitum ad fontem intendissè sufficit.*

Quæ de perplexâ & sæpiùs interruptâ Gratiani methodo, prolixius & accuratius differuimus, deprompta sunt ex variis observationibus, quas diversis temporibus, in vsus priuatos sedulò adnotaueramus; in præsentem publici iuris facimus, in commodum studiosorum. Iuuabit tamen meminissè Gratianum, Magistri, Doctoris, & Interpretis tantum, nomen & dignitatem, & apud veteres, & apud recentiores ob-

tinere. Stephanus Episcopus Tornacensis, qui sub Alexandro III. floruit, *Magnum Canonum Interpretem* appellat, in *Epistola* 1. Glossa, & veteres Interpretes; Magistrum, & tanquam in Magistri verba non addicti iurare, nonnunquam ab eo recedunt, & eius solutiones improbant; quas Canonibus, tanquam emblemata quædam interferit: negant verò alicuius summi Pontificis autoritate, Collectionem Gratiani fuisse confirmatam, sicut monuimus supra. Præstabit trium, summae dignationis & eruditionis Interpretum Iuris Canonici, Durantis, vulgò Speculatoris, Ioannis Andreae, & Panormitani, de Gratiano sententias, ex ipsorum ore, & verbis referre.

Durandus propriè dictus non est Speculator, sed Guilelmus Durantes.

Durantes *lib. 2. Speculi, partic. 2. de disputat. & allegat.* in fine, ait Rubricas Iuris Ciuilis, & Decretalium, esse authenticas, & ius facere. *Secus autem est in Rubricis Decretorum: tum quia alius fuit Conditor Decretorum, & alius earum; tum quia illa quandoque falsa reperiuntur, &c.* Idem, ante Durantem, Azonem adnotasse, supra notauimus. Ioannes Andreae etiam ad citatum Durantis locum obseruauit, & plenius explicat ad *cap. 2. de Rescriptis extra*, in hæc verba vltima Glossæ pen. *Et in prædictis iuribus contraria loquuntur secundum leges, secus secundum canones. Et ibi, secundum leges. Ergo Canonizatio, non facit eam, legem, valere in foro Canonico, ex quo canonis contraria reperitur, & est simile, &c.* Sit ratio, quia Gratianus, ponendo legem in volumine Decretorum, canonem illi contrarium tollere, vel corrigere non potuit. Non obstat, si dicis *Librum Decretorum* fuisse per Papam approbatum, quia nec hoc constat. Et dato quòd constaret; approbatio fuit, quoad *Compilationem*, non quoad dicta Gratiani, quæ quotidie reprobamus. Et idem in *Libros Sententiarum*, de quo vide quid dicam, *De Bigamis, Debitum, super verbo, Cognitam.* Non obstat quòd notatur *Secunda Q. 1. In primis verbis, De Persona Ianuarij*, in Glossa secunda: quia ibi lex canonizata est, id est, in Corpore Canonis per Papam inserta, non per Gratianum simpliciter, in volumine Decretorum. Item illa non est contraria canonis, sed legi. Est simile quòd dicam de *Libro vsus Feudorum: infra De Feudis, cap. 2.* Hactenus Ioannes Andreae doctissimè. Panormitanus eum sequitur in Proemio Decretalium. Et Conclusio est, quòd, aut queritur de Rubricis Decretorum: & in illis non est licita argumentatio, quia non sunt authentica; tum quia non fuerunt edita à Magistro Gratiano, (in quo tamen fallitur: nam plerasque edidit Gratianus; imò & illas tanquam suas allegat aliquando, vt supra probauimus) sed à quodam alio (quòd in aliquibus tantum locis verum esse supra probauimus); tum quia aliqua reperiuntur falsa, & corrupta, vt dicit Glossa, in *can. Charta iii. Q. 9. quam nota.* Et sic excepta prima Rubrica, quæ est authentica, secundum Speculatorem, & Ioannem Andreae, ibidem. Sed non video, unde sumant autoritatem: quia non appar. t quòd etiam ipsum volumen Decreti fuerit approbatum, vt notat Ioannes Andreae in *cap. 2. De Rescript.* & patet etiam ex ipsius inspectione Decreti, vbi nec in principio, nec in fine dicitur, quòd fuerit approbatum. Item Rubrica prima Decreti non loquitur dispositiue, sed tantum fuit posita ad Declarationem Libri. Fateor benè, quòd illa Rubrica declarat finalem intentionem illius *Compilationis: unde potius debet dici*

vera, quam authentica. Et rectè Panormitanus. Quare æquum est benignos Lectores cognoscere, atque ignoscere, quæ veteres factitarunt, si faciunt novi; & nobis condonare, vbi cum ratione à Gratiano recedimus. Postremò, nec adhuc pœnitet, summi viri Antonij Augustini iudicium de Gratiano nos esse secutos: in qua sententia pertendimus, quam plenius explicauimus aliàs; potissimum in oratione habitâ publicè, *De recta Iuris Canonici docendi & discendi ratione.* Breuiter in eam coniecimus, quæ maximè in Gratiani Collectione cauenda existimamus: ideoque ne quid desit, in fine Tractatum nostrorum iterum curauimus excudi.

Decretales Gregorij IX. ex quot & quibus Collectionibus, & Constitutionibus sint compositæ. Gregorius circa an. 1227. floruit. Decretales autem celebrantur olim Cardinalium assensu;

sed hodie eorum assensus non censetur necessarius. Marca *lib. 1. de Concordia, cap. 9. §. 7. & 8.* Nicolaus de Cusa, *lib. 2. cap. 18. & 21.* Imò de maioribus Causis sententiam proferre S. Pontifex non debet, nisi adhibitis Cardinalibus, Ostiensis ad *cap. sicut vnire, de exces. Pralat. & ad cap. 2. de Cler. non resid.* & Ioa. Monachi ad *cap. super eum 4. de heret. in 6.*

De primâ Collectione.

Prima paulò post Decretum Gratiani composita est à Bernardo Papiensi Præposito, quam ipse *Breviarium extranagantium* appellat; quod *de veteri Iure & nouo Compilasse*, in *Præfatione* profitetur, ordinem ferè Iustin. Codicis secutus. Supplementum itaque quoddam Gratiani videtur hæc Collectio; ideoque ad Gratianum Collector aliquando nos remittit, vt in *cap. 9. de Elect. & Elect. potest. in fin. in prima Collect.* ad quem locum vide Notas doctissimi Augustini, & ad verba *Præfationis, De veteri nouoque Iure.* Vel enim ex antiquis Conciliis & Patribus addidit quædam Bernardus, à Gratiano omiffa; vel nouas Pontificum Constitutiones, nempe post Gratianum editas, inseruit. Quare *Extranagantium Liber* appellatur; quia extra Decretum Gratiani huiusmodi scripta, & Constitutiones vagabantur. Eademque forma respectu Gratiani, possunt vocari *Extranagantes*, reliquæ omnes Collectiones, tam antiquæ; quas vulgò appellamus, quàm nostræ: imò & Sextus Bonifacij, & Clementinæ, & reliquæ, vt rectè notauit *Cuiacius ad cap. 4. extra de Sponsalibus.* Et quidem rectè. Nam omnes illæ Collectiones, sunt quædam Supplementa, & Continuationes Gratiani.

Alexander III. Primæ autem Collectionis Decretales nouissimæ Alexandrum, &

Lucium III. Autores præcipuos habent [& alios usque ad Celestisedit annis 22. num III.], Antiquiores paucissimæ. Verùm primæ huius Collectionis Lucius III. an-
propositum, & Methodus, apertius explicari non potest, quàm ex nis 4. tantum,
Nota veteris Interpretis Collectionis primæ, cuius partem tantum doctis-
simus Augustinus exscripsit, & Vincentio Hispano tribuit. Intemense No-
gram repræsentamus ex Tancredi *Glossis in Collectionem primam*, MS. uembri.

exemplar nacti, beneficio doctissimi viri *Claudij Menardi Iuliomagi Andium Proprætoris*. Quia non omnia poterant in *Decretorum* corpore comprehendendi, ut *Dist. xix. Si Romanorum*; idem Magister B. Papiensis præpositus hoc opus compilavit; cuius intentio est, diuersa extragantia Romanorum Pontificum, & autoritates Novi & Veteris Testamenti compilare sub titulis. Materia sunt ipsæ Constitutiones, seu Decretales. Utilitas, ut sciamus discernere inter æquum & iniquum. Modus agendi talis est. Diuiditur opus in quinque partes. In prima, Tractat de Constitutionibus, & Rescriptis, & Iudiciis, & eorum Officiis. In secunda de Iudiciis, & cooperantibus ad iudicia, scilicet testibus, instrumentis. In tertia, de vita & honestate Clericorum, & rebus eorum. In quarta, de sponsalibus, & Matrimonio, & impedimentis eorum. In quinta, de accusationibus Clericorum, & criminibus & pœnis eorum.

Secunda Collectio ter à tribus confecta est Gilberto, Alano, & Ioanne Vallensi. Præualuit tamen ea, quam ex duabus Prioribus Vallensis composuit, ex ruinis, ut ait Tancredus, duarum Collectionum Gilberti & Alani, quæ interciderunt. Suspiciatur doctissimus Augustinus eam esse Alani, quæ in Conciliorum editionibus vulgò subiicitur, sine nomine Autoris; post Concilium Lateranense sub Alexandro III. Hæc itaque [ipsa est] quæ secundæ Collectionis nomen obtinuit; quam uis aliquando vetustissimi Interpretes meminerint Extrauagantium Alani, ut notat Augustinus, in *Notis primæ Collectionis ad cap. 13. tit. 1. lib. 3.* quia vel aliquid diuersum, vel plenius in ea continebatur.

De Secundâ,

Quæ 12. an. post primam facta est. In ea quædam solent admisceri ex Conciliis, & Patribus, de veteri Iure; sicut & in primâ Collectione ad

Supplem. Gratiani. Continet itaque Constitutiones Alexandri III. & seqq. Pontificum, potissimum verò Celestini III. qui anno 1198. obiit mense Ianuario

Tertiam Collectionem ex Registris Innocentij III. Bernardus Compostellanus fecerat, quæ non recepta. Itaque tres illæ priuatâ autoritate, à priuatis Magistris compositæ fuerunt. Primus Innocentius III. aliam, quam vocamus *Tertiam*, confici iussit, & autoritate publicâ munivit: quæ sine scrupulo, tam in iudiciis, quàm in Scholis reciperetur. Composita est ex Libris duodecim Registorum Innocentij III. in qua conficienda, operâ Petri Beneuentani Diaconi & Notarij sui usus est [anno 12. Pontificatus sui,] ut constat ex *Prefatione dictæ tertiæ Collectionis*, quæ Confirmationem continet. Meminit etiam huius Collectionis *Chronicon Vspergense*, & Tancredus in optimo fragmento, edito à doctissimo Bosqueto in *Notis ad Registrum Innocentij III.* pag. 48. Hanc tertiam Collectionem *Glossa in cap. 18. De Prabendis & Dig.* in verbo, *Confirmationem*, vocat absolutè, *Innocentij Compilationem*; ex qua citat *cap. 1. de re indic.* quod reperitur eodem ordine in *tertia Collectione*. Notandum præterea, dubiæ & incertæ esse fidei primam & secundam Col-

Supplem. Gra-

potissimum

De Tertiâ.

lectionem. Hoc amplius Tancredus notat quasdam falsas esse insertas Decretales, quæ in Registris non extant. Iunge Tancredi notam, quam subiecit Augustinus, in fine *Notarum primæ Collectionis*. Idipsum *Præfatio* tertiæ Collectionis subindicat. Quasdam tamen ex his, quæ falsæ dicuntur à Tancredo, in Decretales Gregorij IX. irrepsisse aliquando probabimus; sicut & præposterè *cap. 14. De Renunciat.* tribuitur Honorio, cum sit Gregorij IX. & contra *cap. 15. De tempor. ordinat.* tribuitur Honorio, cum sit *Innocentij III.* Extat integrum in *Lib. 13. Registri Innoc. III. Epistola 194.* Habet enim suos novos postrema Collectio Decretalium. Aliquos in sequentibus Tractatibus indicabimus; sed faciliè utilium multitudine compensabuntur.

*De Quartâ
Collectione.*

Quartam Collectionem idem *Innocentius III.* ex Concilij Generalis Lateranensis Canonibus, & sequentibus Libris Registri post duodecimum colligi curavit; cuius opera, non liquet: nec enim Tancredus, in *frag. supra citato*, ait, *se confecisse Collectionem quartam, sed tantum in Glossis tertiæ Collectionis, quas scribere parabat, promittit se adnotaturum, si quid post annum duodecimum Innocentij III. id est, post Collectionem tertiam, immutatum fuit, vel ab ipso Innocentio, vel à Concilio Generali Lateranensi.* Tertia verò, & quarta Collectio Innocentij solius Constitutiones continent. Hæ quatuor Collectiones antiquæ, editæ sunt ab Augustino; quibus manuscriptis ante Augustinum Contius vsus fuerat.

*De Quintâ
Collectione.*

Sedit Honorius x. annis & viii. mensibus, & mortuus est anno 1227. mense Aprili.

Nupes Tolosæ edita est ab Innocentio Cironio.

Quinta Collectio promulgata est autoritate *Honorij III. & de ipsius Constitutionibus tantum*, ut ipse loquitur in *Epistola ad Tancredum in quinta Collectionis principio*, autore Contio in *Decretalium Præfatione*. Confirmatur autoritate *Ioannis Andreae*, initio *Commentarij ad Decretales Gregorij IX.* Collectio quinta nondum est edita, quam tamen manuscriptam Contius habuit; ex qua quædam adscriptis ad Decretales Honorij, quæ repetita sunt, in nouissima Parisiensi editione Decretalium. [Bernardum ea etiam usum fuisse constat ex specie, quam proponit ad *cap. penult. de ord. cognit. & cap. ult. de Causa poss. & propriet.*] Panormitanus quoque, eam habuit, & Dominus Cuiacius, ut constat ex Notatis ab eo ad *cap. 63. de Appelat. & ad tit. de frigid. & malefic.*

Nec obstat quòd Ostiensis in *Summa Decretalium*, numeret octo Collectiones, quæ Gregorianam præcesserunt. Si enim Gilberti, & Alani, & Bernardi Compostellani, tres, quæ non obtinuerunt, quinque reliquis addiderimus; Octo Collectionum numerus colligetur.

*De Collectione
Gregorij IX.
quam solenniter
in Scholis prælegere.*

Sedit an. 14. obiit verò an. 1241.

Ex Constitutionibus, quæ in illis quinque Collectionibus continebantur, vel ex aliis, quæ omiffæ erant à Collectoribus, & extra eas vagabantur, vel quæ postea editæ fuerunt, ab ipso Gregorio IX. Successore Honorij III. hæc nostra Collectio Decretalium composita est. Quod in Præfatione satis explicatur, cui tantum Matthæi Paridis auctoritatem, in Henrico III. addemus. *His quoque temporibus, Gregorius Papa IX. videns Decretalium radiosam prolixitatem, sub quodam compendio eas eleganter abbreviatas, & collectas solenniter, & authenticè; per totius mundi largitudinem legi præcepit, & divulgavit.* [Hæc au-

sem ab autore ipsarum Gregorianas appellamus, sic incipientes, Rex pacificus, &c. In quibus quadam innovavit, ne scilicet illegitimi in Prælatias vel Ecclesiastica beneficia, nisi adepta à Sede Romana legitimatio- nis dispensatione obtineant: sciens inde Curia Romana pro impetratione tali multa emolumenta provenire, sicut ex statuto Innocentij pro dispensatione plurimum Beneficiorum obtinendorum. Intelligit vero cap. ult. Extra d. filius Presbyterorum & cap. de multa de Præbendis.] Usus est autem operâ Raymundi à Penna forti sui Cappellani, ut ex Præfatione constat, scripta anno Christi 1230. Martinus Polonus, qui & Innocentij III. & Honorij compilationem meminit, ita de Gregoriana loquitur. *Hic Papa, per Fratrem Raymundum Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium, & Capellanum, ex pluribus Voluminibus Decretalium compilavit unum volumen, mandans ubique Doctoribus illo uti.* Quæritur tamen, cur Raymundus retinuerit plerumque principia & prima verba singulorum capitum antiquarum Collectionum; quamvis sensum non perficiant: & ipse Raymundus in Præfatione significauerat se superflua & inutilia refecasse. Ioannes Andreæ ad cap. *Nobis fuit De Iure Patronat.* aptè respondet. *Quare non incepit Compiler hic Decretalium, deciso verbo, Nobis fuit, sicut supra de appellat. infra de sentent. excomm. Inquisitioni Dic ad hoc & simile: illud principium reservatum propter contemporaneos huius Compilationis, qui prius studuerant, & propter Glossas antiquas, allegantes hæc principia. Unde si, quod absit, hodie mutaretur Gregoriana Compilatio, magna esset nostra confusio, mutare principia Decretalium. Factum ergo, ut remaneret in his notitia, nec turbaretur memoria: & sic non obstat Prohemium, ibi, refecatis superfluis.* Hodie verò editis quatuor Collectionibus, utilitas Principiorum magis apparet.

Antiquarum itaque Collectionum enumerationem facere necessarium visum est. Constitutiones enim integriores reperiuntur in illis. Nam Utilitas, quæ licet Raymundus dicat, *Ex his superflua se refecasse tantum;* rectè ex veteribus tamen Glossâ & reliqui accurati Interpretes veteres ac novi, conque- Collectionibus runtur utilia multa refecuisse: imò aliquot utiles Constitutiones præ- percipitur. termisissè. Origines itaque, & fontes Decretalium singularum iuuabit inquirere ex antiquis Collectionibus; quod Contius inchoavit primùm in editione Antuerpiensi; adnotatis etiam quibusdam, ut diximus, ex quinta Collectione manuscripta. In Romana verò editione idem, Franciscus Pegna vir doctissimus, vnus ex selectis Correctoribus Romanis præstitit accuratiùs, & adnotavit initio cuiusque Decretalis: de quo sic Antonius Augustinus in *Indice selectorum Virorum*, qui Gratiani emendationi præfecti sunt à Pio IV. & V. In *Notis ad cap. 20. lib. 1. Dialogorum, de emendat. Gratiani in fine.* Franciscus Pegna Hispanus, cuius sunt *Additiones Decretalium, sine nomine;* quia *Templum Diane incendisse visus est.* Doleo tamen & moneo, nec abs re, vnicum Gal- lum Arnaldum Pontacum, & serò adhibitum. Reliqui omnes fuerunt, aut Itali, aut Hispani. Quinta tamen Collectione Honorij non est usus Pegna. Quare singularia sunt, quæ ex ea Contius adnotavit. Neque tamen, vel Contius, vel Pegna, omnes origines indicauerunt Decretalium editarum ante Gregorium IX. Suppleri possunt ex *Libris*

Registorum Innocentij postea editis, & aliis Scriptoribus. Nam ad *Registorum* literam recurrere debemus, ut vel emendetur *Decretalis*, vel eius autoritas probetur, ut ex *Tancredo* notauimus supra. Quam viam etiam monstrat *Innocentius IV. in Prefatione Apparatus sui in Decretales.*

*De Sexta Col- Collectioni Gregorij IX. quæ quinque Libris constat, addidit suam Bo-
lectione.* Post *Gregorium IX. lectas Constitutiones tam ipsius Gregorij IX. [de cuius extravaganti-
Gregorium IX. Sedit Celesti- bus videndus Cuiacius ad cap. penult. & ult. de testibus,]* quam alio-
nus *IV. anno rum sequentium. In qua Collectione prævalent Constitutiones Innocentij
uno & 8. men- IV. & Gregorij X. & ipsius Bonifacij: [quia sub eorum Pontificatu
sibus, Post Ce- duo generalia Lugdunensia Concilia habita sunt, Ante tamen Bonifa-
lestinum sedit cium VIII. Innocentius IV. Collectionem Decretalium ediderat &
Innocentius promulgauerat, in quam scripsit Ostiensis: quæ appellabatur *extraua-
IV. Genuensis gantes Innocentij IV, cuius omnes ferè Decretales Bonifacius VIII,
annis II. & 6, in Sextum retulit,]*
mensibus, qui
in Synodo Lugdunensi excommunicauit *Fridericum II. Obiit anno 1254. Bonifacius
verò VIII. sedit annos 8, obiit anno 1294.**

Sic de Sexto *Martinus Polonus. Anno Domini 1297. Bonifacius Sex-
tum Librum Decretalium, quem fieri iusserat, publicauit.* Adde omnino,
quæ *Ioannes Andreae* in fine (*commentarij Regularum Sexti*, ad hæc
verba *Datum Roma.*

*De Collectione
Clementina-
rum.*

Sequuntur *Clementinæ*, quas *Clemens* partim ex *Canonibus Conci-
lij Viennensis*; partim ex propriis *Constitutionibus* confici curauerat,
tamen morte præuentus non publicauit. De qua *Collectione* ita
Martinus Polonus in *eius vita*, & *Auctor eius vite* nuper editus. *Anno
1312. die 12. Kalend. Aprilis, in Castro de Montiliis, (Monteoux,)
iuxta Carpentoractum, ubi Curia tunc morabatur, Papa fecit publicari
coram se in Consistorio Constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex
quibus decreuerat Septimum Librum Decretalium fieri: & exinde cepit
agrorare. Et sic Constitutiones illæ per quadriennium remanserunt suspen-
sa, nec exposita ad communiter habendum, nec ad studia generalia, ut
moris est, destinata; donec postmodum anno Domini 1317. mense No-
uembri, per Successorem eius Ioannem fuerunt publicata, & sub Bulla
ad studia generalia directæ. Plenissimè ea de re Glossa Clementinarum,
in illa Prefationis verba: Usuri de cætero in iudiciis & Scholis. Pla-
cuit ex illa Glossa, quædam verbatim referre, pertinentia ad Canones,
quos ex Viennensi Concilio, in Clementinas retulit *Clemens V.* sub
quo Viennense Concilium fuit celebratum. Circa hoc sciendum, quod
*Constitutiones Concilij licet non omnes fuerint in Concilio publicata, tam en
postea de facto fuerunt publicata, & ipsarum habita copia, & iam ha-
beatur, quod ligarent. Et quia patuit aliquas ex illis ineptè, aliquas
prolixè, aliquas defectiuè compositas, aliquas etiam non expedire: voluit
Clemens, quod compositio illa procederet; sed ut fertur, sub excommu-
nicationis pœna mandauit, quod istas habentes, infra certos dies, restitu-
rent Camera, vel incidèrent, vel dilacerarent etiam easdem. Denum per
peritiores**

peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas & paucas in totum reservauerunt, aliquas in totum rescaverunt, aliquas mutauerunt quoad verba, mente servata; in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt. Et has, licet non sub his verbis in Concilio publicatata fuissent, voluit sub nomine Concilij reservari, & multas Constitutiones viles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum, &c. Vide omnino locum integrum. Autor huius Notæ Ioannes Andreæ, qui in *Clementinas* scripsit ex professo. Ad eundem in prima verba *Prefationis Clement. Quoniam nulla*: & iunge quæ idem accuratè scripsit ad *Prefationem Sexti*; potissimum ad ea verba: *Earumque Autoribus dubitatur*; & sequentia: *Abbreviatis, In toto, Mutatis, Correctionibus, Detractionibus, Additionibus, Vidimus*. Ex quibus colligere possumus, quantum sibi Summi Pontifices vindicent, non tantum in suorum Decessorum Constitutionibus, sed etiam in Conciliorum Canonibus, Collectionibus Decretalium inferendis: idem nempe Ius, quod Iustinianus, in veterum Iurisperitorum Libris, & Anteriorum Imperatorum Constitutionibus. Hoc feliciores Iuris canonici studiosi, quod fontes & origines Iuris canonici veteris & novi, ferè omnes, cum cura & solertia, non sine sumptu & labore tamen, deprehendere & scrutari valeant. Iuris Ciuilis studiosis, tam beatis esse non licet.

Collectæ postea fuerunt à priuatis Collectoribus, Constitutiones xx. à Ioanne Papa editæ; & Extravagantes quædam communes, nempe à diuersis Pontificibus, qui vel ante Ioannem XXII. vel postea vixerunt, compositæ. Extravagantes verò, tam Ioannis, quam communes, sicut & reliquæ Constitutiones Pontificum sequentium, licet à priuatis Collectoribus collectæ; tamen habent vim & robur in iudiciis, si fides eis adstruatur, vel ex Registris, vel ex Plumbo, & sigilli forma: qua de re vide [*cap. 8. Extra de fide instrum.* & ibi Interpretes, vbi nota ex antiqua hæc verba: *De quibus nec per Bullam constitit, nec ipsa per Metropoles fuerunt insinuata.*] Adde *Prefationem Extravagantium Ioannis*, scriptam à Francisco de Pauinis; vbi de *Regulis Cancellariae, & Decisionibus Rote*: Quibus iunge doctissimum *Tractatum* Francisci Pegnæ, de *Extravagantibus, in fine Directorij Inquisitorum*.

De Extravagantibus Ioannis, & de Extravagantibus communibus.

In Gallia notandum, Sextum Bonifacij non habere eandem vim, atque reliquas Compilationes, propter graves inimicitias, quæ inter Bonifacium & Philippum intercesserunt: quod & obseruauit Glossa ad *cap. 16. de Electione in vi*. Ita secundum aliquos, Constitutiones istius Compilationis non sunt receptæ in hoc Regno. Quæ verba Glossæ & alia quædam ad Regum nostrorum Regalia pertinentia, Romanos Correctores deleuisse, quidam viri docti frustra suspicantur. Nam & in editione Molinæi desiderantur; quæ profectò non omisisset. Verosimilius est ab aliquo Gallo Doctore, Glossis fuisse inserta. Quinimò Decretalium nullæ Collectiones publicâ autoritate, in Galliâ receptæ fuerunt: & notandum quod ait Molinæus, in *Commentario ad Edictum Henrici II. contra paruas datas, Glossa 15. num. 1209.* extare in Registris Regiis [sub Philippo Augusto] consilium, ab Eudone Burgundiæ Duce ex Regi datum, ne novas permitteret illas Constitutiones Papparum, in Regno suo admitti. Et certum est nullomodo admitti, in his, quæ ad

Observatio tamen ad Sextum Bonifacij, quàm ad omnes Decretales.

Cur ergo, iniquies, leguntur in Scholis? Solue ex iis, quæ diximus ex Philippo Pulchro in fine Dissertationis

FR. FLORENTIS PRÆFATIO.

precedentis.
De huiusmodi Consilio plenius Illust. Marca lib. 4. de Concordia, cap. 15. Extat tomo 2. libertatum Ecclesie Gallicanae.

Decretalium Methodus.

Jurisdictionem facularem pertinent. Imò nec per omnia in spiritualibus, si aduersentur Libertatibus & Iuribus Ecclesie Gallicanae. Quod mirum non est, cum & Curia Romana non recipiat omnes Decretales; quamuis publicis Collectionibus contineantur. Quae verò extra Collectiones publicas vagantur, & ab anterioribus Pontificibus sunt editae, nullam vim & robur habent in Iudiciis, Bonifacius in *Præfatione sua* in vi. sub finem. Editae tantum Constitutiones post publicas Collectiones valent, dummodò de earum fide & publicatione constet, Ioannes Andreas in *Notis ad dictam Præfationem*. Quò pertinent quae suprà de Extraneis diximus: [quibus adde cap. 8. de fide Instrumentorum.] Nec apud nos valent, nisi publicà autoritate, vel usu receptae fuerint; sicut de quibusdam Regulis Cancellariae notum, [quae usu & moribus nostris comprobatae sunt.]

In Decretalibus autem componendis eam methodum est secutus Raymundus, quam in antiquis Collectionibus seruatam deprehenderat. Nempe Decretalium Collectores Codicis Iustinianæi artem securi sunt. Statim enim, post tit. *De Summa Trinitate*, qui est Primus, partes & species Iuris canonici, scripti & non scripti, tribus titulis explicantur, de *Constitutionibus*, de *Rescriptis*, & de *Consuetudine*. A quinto verò titulo, usque ad tit. *de Pactis*, de *Conditione*, *Qualitate Clericorum*, *Ordinationibus*, *Electionibus*, & *Dignitatibus* tractatur: & pars illa prima, de *Personis* appellari potest. A tit. *de Pactis*, usque ad finem Libri Secundi, tractatur plenissimè de Iudiciis Civilibus instituendis, instruendis, & perficiendis: ex qua parte, rectè viri docti obseruant, praxim ferè omnem fluxisse. In Tertio, & Quarto Libro, de Rebus Ecclesiasticis agitur, tam Spiritualibus, qualia sunt Sacramenta, quàm de Temporalibus, verbi gratia, de bonis Ecclesiasticis, Contractibus, Testamentis. Itemque de mixtis, de Præbendis, atque Dignitatibus, Iure Patronatus, & reliquis. Quia tamen Beneficia Ecclesiastica, & bona, non in personae gratiam conferuntur, sed propter officium confertur beneficium, vt vulgò dicitur; Clerici enim, Diuino cultui, ministeria Religionis debent impendere, lege 2. *Cod. Theodos. de Episcop. & Clericis*: breuiter, antequam de Præbendis, & bonis Ecclesiasticis tractetur, in *quatuor primis titulis Libri Tertij* traditur, quid desideretur in Clericis, vt rectè munus suum peragant, & officij sui admoneantur. Postremò in Libro Quinto, de criminibus Ecclesiasticis agitur, de Accusatione, de Persecutione, Instructione, & Forma Iudiciorum criminalium; vltimò, de Pœnis, seu Censuris Ecclesiasticis. Ex quibus colligitur expressum esse ordinem Codicis Iustinianæi.





ORATIO,

IN APERIENDIS SCHOLIS IVRIS

Habita vi. Non. Octob. Anno M.DC.XXXII.
ad IX. Tractatum Calcem edita anno 1641.

De recta Iuris Canonici discendi ratione.



RV DENTISSIME vetus & elegans Poëta in electione arborum, quas in tutelam suam singula Numina susceperunt, Mineruæ judicium cæteris prætulisse videtur. Ioui siquidem Quercus; Veneri Myrtus, Phœbo Laurus, Pinus Cybelæ, Populus Herculi placuisse fertur: omnes quidem pulchritudine, proceritate, vel amœnitate gratissimæ, steriles tamen, & infecundæ. Mineruæ autem propter fructus, quos fert, vberriimos & humano generi longè vtilissimos Olea gratior & acceptior fuit. Ideoque Sapientis nomen meruit. Stulta est enim & inanis gloria, nisi quod facimus, vtilitate commendetur. Eadem planè ratione legitimæ scientiæ Professori conveniens, ac necessarium esse arbitror, in aperiendis Scholis, non vmbrales declamationes aucupari; quibus inescantur homines, & auribus tantùm parantur insidiæ, animus autem vacuus dimittitur: sed eam orationem habere, ex quâ præter animi delectationem & voluptatem, ad auditores aliquis fructus & vtilitas redeat.

Operæ igitur pretium duxi, Studiosis Iuris Canonici, cuius interpretatio nobis, ex veteri huius Academiæ Consuetudine obtigit, quantum equidem potero prodesse. Quod ut re ipsâ præstemus, hac oratione, quæ nobis videatur breuissima ac certissima Iuris Canonici discendi methodus, exponemus. Nec ita tamen, vt omnia argumenta sigillatim, & per partes excutiamus; sed summa tantùm capita, & in eâ materiâ dominantia perstringamus. Nam si quæcumque eâ de re dici possunt, curiosius inuestigaremus, nullus propè dicendi finis reperiretur.

Sicut in reliquis scientiis ediscendis, ita & Iure Canonico perdiscendo, non admittimus rudem, & imparatum auditorem. In primis edicimus, nihil præcepta, atque artes profuturas, vana, & inutilia fore omnia, quæ deinde præcipiemus, nisi natura & indoles auditoris faueat, sensus communis adsit, & recta ratio, quam necessariò in Iurisconsulto desideramus. Qui sensu communi caret, pro-

cul à Scholis Iuris eijciendus est : neque enim magis illi præcepta proderunt , quàm cultura sterilibus agris & arenæ. Non ideo tamen studiosi statim abiicere debent animos : paucissimos enim reperies quibus non insit vis & facultas quædam , ac naturalis potentia percipiendi ea , quæ traduntur à peritis Doctoribus. Id enim hominibus naturale est : & quemadmodum aves ad volatum , equi ad cursum , ad sæuitiam feræ genitali motu feruntur ; ita propria est hominis mentis agitatio & solertia. Hebetes verò & indociles , non magis secundùm naturam hominis eduntur , quàm prodigiosi partus & monstra. Ex ipsis quippe rerum argumentis discimus , sapissimè non ingenium & naturam , sed laborem & curam defecisse. Liberalissimam naturam omnes experimur. Quod ab eâ postulamus , vtrò & sponte suppeditat. Verùm ei vicissim nos aliquid largiri debemus , nempe Institutionem , & eam quidem non seram , sed maturam & accuratam. Excolenda sunt enim à puero & mitiganda ingenia , studio & culturâ humanioris literaturæ , quæ Historiæ & Philosophiæ , Dialecticæ præsertim mediocri cognitione , summopere adiuuatur. Mediocre cognitionem dicimus : si quis enim exactissimam & perfectissimam quæserit , vix iam grandævus senes , ac ætate defecti in Scholas Iuris mitterentur.

Ab his initiis ad Iuris Canonici studium licebit accedere. Cuius studij , duas partes constituimus ; *vetus* , & *novum*. Veteris principia & fontes in præsentis , non longiùs arcessemus , quàm à Gratiani Decreto , cuius Collectio , sicut opus Pandectarum , ex veterum Prudentum libris ; ita ex variis Conciliorum , Pontificum , & Patrum scriptis , euentu quamvis & arte multum dispari , composita est. Ius Canonicum novum , Decretalibus continetur , in quibus Pontificum potissimùm , sicut in Codice Imperatorum , Constitutiones & Decreta referuntur.

In utroque , tam veteri , quam novo , quædam studiosis observanda proponemus ; non tantùm ab antiquis , sed etiam à plerisque recentioribus Interpretibus , vel prætermissa , vel non satis explicata.

In iure novo Decretalium , hoc est in *Collectione* Gregorij IX. quam solemus in Scholis interpretari publicè , antiquorum Interpretum , ex quorum scriptis Bernardus Bononiensis Glossas excerpit , diligentia vel industria satis commendari non potest. Haud enim contenti *Collectione* illâ , quam interpretandam suscipiebant , ad alias etiam antiquiores animam adiecerunt ; sine quibus novas intelligi non posse verissimè iudicabant. Hos Bernardus , Innocentius IV. Ioannes Andreas , & Panormitanus , optimi Iuris Canonici Interpretes interdùm imitantur : reliqui ferè omnes imperitè neglexerunt. *Comparisonem* illam exactissimam *Collectionum* antiquarum , cum novâ Gregorij IX. quam necessariam esse toties inculcamus , ex antiquis Interpretibus , vt diximus , viderunt pauci ; neglexerunt plures antiqui & novi usque ad nostra tempora ; quibus feliciori genio præditi , Antonius Demochares , Ioannes Quintinus , Antonius Contius clarissimum olim huius Scholæ lumen , & postremò Antonius Augustinus , hanc partem strenuè ad eò tractauerunt ; ut Correctoribus Romanis , qui postremam manum operi imposuerunt , tenuissimum spicilegium reliquerint. Diligentiorum

exemplo auditores nostros commonemus, ut in Gregorij Collectione legendâ antiquas Collectiones semper adhibeant; in quibus Constitutiones Pontificum integrioris reperient, quas Raymundas à Pennaforti Barcinonensis, Gregorij IX. Tribonianus, passim interpolavit, rescidit, & immutavit; ac sæpè contra mentem Autorum. Quin & nunquam necessarias neglexit, & quod nobis Gallis observandum est, quædam in Rescriptis Pontificum, ad honorem & decus gentis nostræ pertinencia, supercilium & typhus Hispanicus cum ferre non posset, prætermisit.

Sufficere fortè Studioso Iuris Canonici comparationem illam antiquarum Collectionum cum novâ Gregorij, Glossarum assiduam lectionem, & viam vocem Doctorum meritò quis crediderit; studioso tamen & discipulo. Nam à Magistro, qui lumen præfert & antecedit, aliquid amplius requiritur; exacta nempe cognitio Historiæ Ecclesiasticæ, præsertim à Gregorio VII. nec unius quidem Ecclesiæ, sed omnium, Occidentalium maximè; quæ non ex vulgatis & futilibus quibusque, sed ex æqualibus & coætaneis repetenda est. Quam cognitionem, quia propemodum infinita est, in Doctore tantum desideramus; qui nisi eam, si non summam, saltem idoneam & intra modum assecutus sit, nihilo præstantior erit Magister paulò diligentiore Discipulo. Hæc de Iure novo Canonico, tanquam per indicem attingere visum est; ne subtilior & curiosior disciplinæ ratio retardet potius, quam promoveat Studiosorum impetum.

A Iure novo sensim ad Ius vetus pervenimus, ordine fortè docendi præpostero, non dicendi: Plura enim de Iure veteri præcipienda supersunt. Veteres omnes Iuris Canonici Interpretes Latini cognitionem Iuris antiqui non aliunde, quam à Gratiano acceperunt; in summâ reliquarum omnium Collectionum, tam Latinarum, quam Græcarum ignoratione versari; quarum autores, nec de nomine eis noti fuerunt: quod eorum scripta produnt nimis. Eam ob rem sicut ex aquæ capite turbato, & ex fontibus limosis, riui liquidi & illimes manare non possunt: ita doctrina, quam veteres Interpretes hausserunt tantum ex Collectione Gratiani, quæ spuria, falsa, suspecta, & mendosa plurima continet, certa, vera, plana, & aperta esse non potest. Ac ne videamur vagari cum discrimine alienæ existimationis; designabimus, quid præcipue in Collectione Gratiani cauendum existimemus.

Opus suum Gratianus ex tribus Scriptorum ferè generibus composuit: ex Conciliis, tam generalibus, quam particularibus, Orientis, & Occidentis; ex Epistolis & Constitutionibus Pontificum; & ex dictis Patrum, Græcorum simul, & Latinorum. In Conciliorum Latinorum Canonibus inserendis, plerumque non inspectis Libris authenticis, aliorum Collectorum fidem nimium patienter amplectitur: vnde seges errorum fertilissima. Idem in Græcorum Synodis admisit; in quibus præterea, non unâ & eadem versione, sed pluribus usus, aliquando supinè adeò & imperitè, ut vnum & eundem Canonem, velut diuersum, bis & ter repetat, varietate versionis, vel breuiationis delusus. Quod verò periculosius est, rationem componendorum Canonum, vel reuerà, vel in speciem pugnantium, eam plerumque inire solet, ut anti-

qua Concilia, etiam maiora & generalia, quibus Ecclesiarum, nostrarum præsertim, iura & libertates continentur, quamuis æquitate summâ nitantur, cedant tamen minoribus: & de Conciliorum omnium autoritate securus, dubia nonnumquam & falsa pro certis & veris, credulis lectoribus obtrudit. Quineriam, propter antiquæ disciplinæ, rituum, & linguarum ignorationem, identidem cespitat, & labitur.

Huiusmodi autem errores in Conciliis quidem Gratianus, parcâ manu, rarò sparsisse dici poterit, & ut aiunt, *χρῆς, ἀλλὰ μὴ ὅλα διυλάκω*. At in Epistolis decretalibus Pontificum, Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri I. & aliorum, liberalissimè, & ὅλα διυλάκω: quarum quidem falsas plurimas, suppositas, & mendosas esse, indicare Studiosis necessarium visum est; quia non tantum hæc à postremis Gratiani Correctoribus sæpè fuerunt omissa; sed etiam à doctissimo Antecessore pridem obseruata, contra mentem Autoris, & in eius fraudem, ab imperitis & tagacibus Librariis contaminata partim, obelo partim iugulata sunt: ut perspicacibus ostendent satis vulnerum cicatrices, quas incauti mutilatores obducere sunt obliti. Hæc vnum equidem in eâ re miror, cur Antonius Augustinus Iuris Canonici peritissimus, ex incertis huiusmodi Epistolis, excerpta plurima, suæ Collectioni, tanquam vilissimos pannos purpuræ affuerit.

Non maiore iudicio, & diligentia, ex dictis Patrum, & aliis Scriptoribus desumpsit multa Gratianus. Quæ tamen in his peccauit, ferè omnia Romani Correctores accuratissimè emendarunt: ideòque supersedemus. Singula enim persequi, quæ virorum doctissimorum diligentiam effugerunt, breuis orationis modus non finit. Hactenus de Iure Canonico veteri, & nouo: quæ diligenter explorata, plurimas traditiones veterum, & recentium Interpretum profligabunt, & inanium Commentariorum onere leuabunt.

Cæterum Natura & Institutio à puero, de quâ initio dixi, *παιδευσις* vocant, & Iuris disciplina, qualem modò expressimus, studiosis parùm proderunt; nisi præterea labor perpetuus, nec interruptus, sed certo & legitimo temporis spatio continuatus accedat.

Prudentia maiorum & communis Populorum consensus, qui ratione & legibus reguntur, Locum opportunum addidit: ut non vbique, sed in certis tantum Ciuitatibus Iuris scientia, publicâ autoritate doceretur; idque publicè, non furtim, in tenebris, & in priuatis auditoriis, in quibus pro arbitrio suo doctus, & indoctus quilibet, pariter, & ex æquo, docendi Iuris fiduciam, in perniciem iuuentutis assumit. Quin & euenit aliquando indoctorum Magistrorum priuata Auditoria, maiori Discipulorum numero celebrari. Quidni? numquid quotidie videmus agyrtarum, & circulatorum theatra multitudine plebis imperitæ circumuallari, stupore vulgi, pleròsque ex illa fæce factos nobiles, & potius adiri, quàm sapientissimos Medicos? Nimirum sui similes imperiti trahunt imperitos, qui nouam capturam, & nouum genus lucri inuenerunt, ipsam ignorantiam. *ἕγχευον, εἰ πολλοί, ἢ κερδαίνουσιν, ὅτι ἀγνοῦσιν. πῶς γὰρ τὴν πῆλιν.* Incautos verò iuuenes, his fraudibus, & dolosis artibus circumueniunt. Catholica præ-


cepta, Tractatus generales, Compendia, quasdam Species, quasdam Antinomias, auidis Sectatoribus suis, quasi manna in os ingerunt: adeoque verendum est; ne quod olim picturæ contigisse dicitur, vt perierit, postquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiarium inuenit; idem & Iurisprudentiæ, longè maiori publicæ rei damno, eueniat, perniciosissimo huiusmodi Breuiatorum facto; qui admirabiles Iurisconsultorum libros, & Imperatorum sanctas Constitutiones, in frustra, & Epitomas sacrilegè discerpunt & lacerant.

Nos verò, cruda, & præcocia studia prorsus damnantes, laborum gradus statuendos esse profiteamur: & vt totam orationem in pauca coniciamus, sex in studiosis, siue Iuris Canonici, siue Ciuilis requirimus; Naturam, & Indolem; Institutionem à puero; rectam Iuris disciplinam; Laborem indefessum; Tempus legitimum; & postremò locum studiis aptum, & commodum. Scientiarum enim cognitionem, cum iis, quæ terra nascuntur, non ineptè comparari posse putò. Natura nostra velut ager est & solum: Doctorum præcepta sunt semina: Institutio à puero tempus opportunum designat, quo semina terræ commendanda sunt: Studium & labor culturæ vicem obtinet: Tempus legitimum hæc omnia confirmat & roborat, vt perfectè enutriantur, & quasi ingenerentur: postremò sicut aër ambiens benignè fruges educat, eisque colorem ac maturitatem inducit; ita & locus ipse ad docendum publicè constitutus alit quodammodo, ac promouet studia Iuris, eaque saniora ac vegetiora præstat.

His igitur sex, tum ad Iuris Ciuilis, tum ad Iuris Canonici disciplinam collatis, nihil ad plenissimam, & perfectissimam cognitionem deerit: nisi vsus & experientia; quæ non in Scholis & ab Antecessoribus, sed in Foro à quotidiano Iudiciorum strepitu, exercitatione & triturâ est expectanda.

D I X I.





MONITVM LECTORI,
NOVEM TRACTATIBVS
in Lib. I. Decretalium Priores titulos olim
ab Autore præfixum.

PROPOSITI rationem & methodum aperire tibi, BENIGNE LECTOR, in ipso limine necessarium duxi. Anno superiori, per vices, ex instituto Scholæ, explicatio mihi Canonici Juris obtigerat. Impellebar hûc illûc, incertus quam partem aggrederer Studio-
sis vtiliorem. Obversabantur animo Compendia, Breviationes; Catholica, seu generalia quædam: sæ-
culi genio obiequendum, quo per Indices & Epitomas nimium quan-
tùm sapere gestiunt. Quin etiam operi me accinxeram. Desultim pro-
gressi, vbertas & difficultas materiæ cohibuit impetum, & statim re-
morata est: huiusmodi nempè scriptorum plurima volitare & circum-
ferri, quæ Decretis etiam publicis aliquando prohibita fuerint. Soli-
dus aliquid ad informandos & imbuendos Studiosorum animos desi-
derari, viam sedulò muniendam, per quam deducti facilius ad enu-
cleandas Quæstiones difficiles, quæ quotidie veniunt in usum præpa-
rarentur. Quare, pleniores potius Tractatus in exemplum conscriben-
dos mihi persuasi: nec parçè, doctrinæ caput & fontes tantum; sed
etiam ex fontibus plures riuulos deductos consecrandos. Quid est enim
aliud Tractatus, quàm multarum Quæstionum, quæ communi genere
continentur, & latent, latius diffusa, & subtilius explicata compre-
hensio & expositio, *διεξοδικὸς λόγος*. Verùm, ne rudem & imparata-
tam Iuuentutem ab initio deterrerem, Præfatione amplâ viam monstra-
ui, & aditus alioqui difficiles patefecî. In eâ quippe tam de Metho-
do & autoritate Gratiani, quàm de reliquis post Gratianum Decreta-
lium Collectionibus antiquis & nouis, plenissimè disputauimus, quæ
singularum origo, quis ordo, quæ autoritas. Quod enim ad Ius Ca-
nonicum antiquissimum pertinet, aliquot ab annis, libro singulari
comprehendimus: in presenti, quæ spectant ad Ius Canonikum nouum,
duntaxat persequimur.

Post Præfationem, Tractatus nouem exhibemus, in nouem primos
titulos Decretalium. Si primum excipias, in quo intima Theologiæ,
de Summâ Trinitate, & Fide Catholicâ panduntur arcana, quibus me
immiscere sacris Theologiæ mysteriis non imbutum, nec valui, nec
debui; in reliquis octo, tentavi præstare quod sum pollicitus, & ipsum
Tractatus nomen & titulus requirit: quamuis pro materiæ modo, aut
quæstionum difficultate, multitudine, vel varietate, aliquando proli-
xior,

xior, aliquando breuior fuerim. Præcipuam operam in iure veteri Canonico posui, & Historiâ Ecclesiasticâ veteri: quia cum verâ & sinceriori disciplinâ conuenit, ex quâ bene multa in mores nostros, & Iura, deriuata passim, translata, longâque Consuetudine & Vsu comprobata & confirmata deprehendimus; sæpiusculè licet cum nouissimo Decretalium iure pugnare consueuerint.

Non idèò minus sedulo laborauimus in inuestigandâ & eruendâ verâ historiâ noui Iuris, variis ex Scriptoribus, coætaneis præsertim, & in secernendis veris causis & occasionibus, à fucatis & coloratis. Quod vt accuratiùs perficerem, difficiliorum & maioris momenti Constitutionum interpretationem ex professo suscepi. Profuit etiam non semel Glossam & vetustiores Interpretes in consilium adhibere; quos fastidiosè nimium delicatuli quidam dedignantur.

Præterea ingenuè profiteor, in vniuerso opere me frequenter adiutum monitionibus, studio, & beneuolentia virorum, celebritate nominis, eruditione variâ, & vtriusque Iuris scientiâ instructissimorum, quos honorificè semper appellauim. Numero plures fuisse, qui opem ferrent vehementer exoptassem. Clarissimum virum Ioannem à Costa, Tolosanum Antecessorem celeberrimum, & de me optimè meritum, cuius recitationibus per sex annos assiduus interfui, hoc loco designari & laudari, rara magni viri & exquisita vtriusque iuris scientia; memoris adhæc discipuli officium flagitauit: cuius ne quid meritis detere, vel inuerecundè scripta, per quæ profeci, supprimere cauilletur aliquis, bonâ fide publici iuris primum facimus illius Recitationes in eosdem nouem titulos, quantâ diligentia & sinceritate licuit ab aliis exscribere: neque enim ex ore dictantis excepimus. Paterni nominis, rerum, scriptorum, famæ hæredes, filios spei optimæ insuper rogamus, ne reconditi thesauri vsurâ & fruitione, eruditos viros priuari tamdiu patiantur; aut æquo animo ferant, quas habemus plurimas Recitationes, in publicum usum, qualescúmque nancisci potuimus, propediem promulgari.

Habes Consilij nostri summam, BENIGNE LECTOR: his fructu; dum alia & in Iure Ciuili, ex quo plerâque mutuamus, & in Iure Canonico meditatur. Si quid minus arriserit, si quid parum cauerim, vel lapsus humanitatis fuerim; nec enim dubito: mutabo factum, & libentissimè monitoribus obtemperabo. Hoc ampliùs: egomet, si Deus sinat, vineta cædam mea, priuatòque studio, ex secundis cogitationibus, non contemnendi supplementi aliquando accessuri, secunda editio Tractatus de Vsu & Autoritate Pallij, non dubiam faciet fidem.

Postremò si quam vel delectationem, vel vtilitatem perceperis ex his conatibus, gratiam mecum habe, singularis eruditionis & modestiæ amico Ludouico Nublé; qui me non tantum admonuit in progressu operis sapiùs, sed etiam totius editionis fastidium, nauseam, varias operarum moras, stuporem & imperitiam generosè concoxit.

Nondum finis. Alius ex alio labor: quid facerem? Obtrectatores & maleuoli, qui resides in otio, nec electi, nec sortitò iudices dati, splendida de scriptis alienis iudicia faciunt; fortè conquerentur se præ-

66 MONITVM LECTORI NOVEM TRACT. PRÆFIXVM.
teritos. Exoratos nihilominus velim, supercilium & seueritatem fron-
tis exhilarent, his lepissimi Phædri versiculis,

*Alueos accipite, & ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis, & formâ fani, &c.*

Quot in Iure Ciuili loci & nodi vindice digni, post omnium inter-
pretationes supersunt? Interpretum præstantiorum libros, summi potissi-
mum Cuiacij, lumine non egere & doctore si quis dissimulet, aberrare
turpiter, doctissimorum Antecessorum scripta nupera facient manife-
stum. In Iure Canonico, omnia ferè horrent, & squalent situ, in-
culti, incompta, inornata. In vtròque iure materiæ abundat copia.
In illo se ludo exercent *à γὰρ ἡ δ' ἔστι ἢ δὲ βεβαιῶν*. Omnem in scriptione
laborem versari constat apud veteres & novos Magistros. Vnum allega-
bo instar omnium, testem omni exceptione maiorem, quo vix vllus
maiore solertiâ, fide, iudicio, & nitore, Literas humaniores, Philo-
sophiam, & Ius Ciuile publicè docuit, & eruditissimis scriptis illustra-
uit. Testimonium iuuabit audire. *In docendo quidem, & laboris minus est,
& voluptatis multum; & existimationis, si quid peccas, leue periculum: &
ingenij certa ac incunda laus, si quid acutius paulò cogitasti. Nam neque
sollici am auditor beneuolus Doctoris requirit diligentiam, & sponte fauet,
& ignoscit facile, & laudat perlubenter. Ad minus tamen multos utilitas
peruenit, quam si aut scribas ipse, aut ab aliis scripta facias meliora. Con-
trâ in scribendo experior omnia: vbi & labor ingens, vbi voluptas nulla,
aut si qua vero est, ad neminem ea minus, quàm ad te pertinet: vbi aut pro
gloriâ dedecus, aut frigida, aut sera à posteritate expectanda laus: vbi non
cum æquis, & audiendi auidis auribus; sed cum iniquo, & fastidiente om-
nia lectore negotium: vnde ob benedicta multa, frustra errati vnius veniam
depreceris, etsi laboris tui fructus in omnes redundet.*

